NICOLAI BONDT

MED. DOCT.

DISSERTATIO

DE

CORTICE GEOFFRÆÆ SURINAMENSIS,

TABULA ÆNEA ILLUSTRATA.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD ABRAHAMUM ET JANUM HONKOOP:

MDCCLXXXVIII.

VIRIS

NOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS

NICOLAO BONDT,

J. U. D.

CAUSSARUM PATRONO AMSTELODAMENSI CELEBERRIMO.

WILHELMO SERVAAS,

MED. DOCT.

POLIATRO IN PORTU DELPHENSI EXPERTISSIMO.

PATRUIS SUIS, ILLI SANGUINE, HUIC AFFINITATE SIBI JUNCTIS, OMNI HONORE PROSEQUENDIS.

NEC

NEC NON

VIRO CLARISSIMO

FLORENTIO JACOBO VOLTELEN,

MED. DOCT.

MEDICINÆ ET CHEMIÆ IN ACADEMIA BATAVA, QUÆ LUGDUNI EST, PROFESSORI.

PROMOTORI ET PRÆCEPTORI SUO ÆTERNUM COLENDO.

Hanc Diſſertationem
Dedicat

AUCTOR.

PROŒMIUM.

De *eximiæ virtutis remedio, non ſatis cognito, nec hactenus deſcripto, prius quam exponere aggrediar, e re erit, pauca quædam monere, tum remedii hiſtoriam, tum ipſius Diſſertationis ordinem, ſpectantia.*

Non diu eſt, quod Geoffræ*æ quædam Species,* Jamaïcenſis *nempe, & hujus quidem Cortex, uſibus medicis deſtinari coepit. Hujus primam mentionem invenimus factam a* P. Duguid *in epiſtola ad* Al. Monro (a): *poſtea memoratur a* Don. Monro (b); *& deinde ab* Andersono (c). *Ple-*

(a) Vid. *Edinburg Eſſays Phyſical and Litterary* Vol. II pag. 264

(b) Vid. *Medical Commentaries* Vol. II pag. 96.

(c) Ibid. Vol. IV pag. 84.

Plena autem arboris, unde hic cortex habebatur, deſcriptio, una cum curatiore virium medicatarum, uſusque notione deſiderabatur, donec Doct. G. Wright *reliquis perfectiorem hiſtoriam hujus* Geoffrææ, *ejusque corticis dedit* (d). *Ex ſola hac deſcriptione, quicquid Materiæ Medicæ Auctores nonnulli de hoc cortice habent, fideliter transtulerunt* (e). *Plerique tamen de hoc penitus ſilent. Hic itaque ſolus erat* Cortex Geoffrææ *inter medicamenta receptus, & Medicis hodie cognitus.*

Ante aliquot autem annos ex Surinamia ad Medicorum (paucorum tamen) notitiam pervenit alius Speciëi Geoffrææ *Cortex: cujus vires quemadmodum innotuerint, ex relatione Doctiſſ.* J. P. van Stuyvesant, *tunc temporis praxin medicam in Surinamia exercentis, primique Medici Europæi, qui eum & cognovit, & ibi loci adhibuit, enarrabo. Ao.* 1770. *inter ægros, quos curabat, erat ſervus Nigrita, qui horrendas patiebatur convulſiones, quas inſequebatur per aliquot horas durans coecitas. Plura ſigna concurrebant,* ver-

---

(d) Vid. *Philoſ. Transactions* Vol. LXVII part. 2 art. 28 pag. 507 & ſeqq.

(e) Vid. *Additamenta* Doct. J. Aikin ad Lewisii *Mat. Med.* Ed. 3tiæ pag. 320: Spielmann *Pharm. Gener.* pag. 55: & *The Edinburg New Diſpenſatory* Edinb. 1786 Pag. 148.

vermium præſentiam manifeſto declarantia. Exhibita ſolita Anthelmintica, expulſis quidem aliquot vermibus, diagnoſin confirmabant; curam tamen abſolvere minime poterant, convulſionibus quotidie magna cum vehementia reverſis: quum accedens forte Indianus quidam, continentis Americæ indigena (Bokken *vocant*), *nomine* MACARI, Arouaccanus, *quique tribus ſuæ princeps, ſacerdos & medicus erat, conſpecto ægro, hunc vermibus laborare, & a ſe facile ſanari poſſe, confidenter aſſerebat. Prompte, ut curam ſusciperet, annuebat Vir Doctiſſ.. Mox Indianus ſecedebat, & rediens poſt aliquod tempus ſecum afferebat potionem, quam interea paraverat, cujusque circiter uncias duas ægro exhibebat. Vehementes inſequebantur motus convulſivi, & tribus poſt horis per alvum excernebatur magna copia pituitæ, unaque* 83 *vermes in glomerem convoluti. Sequenti die eandem remedii doſin propinabat, qua abſque motibus convulſivis adhuc ultra* 60 *lumbrici expellebantur; &, poſteaquam tertio die doſin iterum repetiiſſet, ſanatus erat Nigrita.*

Tantum tamque egregium hujus remedii effectum miratus Vir Doct. non potuit non ejus revelationem vehementer deſiderare; ſed irrito diu conatu, ſiquidem enormem pecuniæ ſummam Indus ille exigebat. Donec tandem re tranſacta, collata ſimul a Nob. NEPVEU, *coloniæ Surinamenſis tunc temporis Gubernatore, pro ſua in artes & ſcientias benevolen-*

lentia, & opera & ſumtuum parte, non exiguo tamen pretio, arcani patefactionem impetraverit. In ſylvam itaque ab Indo ductus Doct. VAN STUYVESANT *arboris corticem illum ulterius deglubentem vidit. Hunc recenter decoquebat, ſumendo (prouti ex quantitate conjici poterat) Corticis unc.* 2 *cum aquæ circiter lagena, ſive unc.* 30, *donec duæ tertiæ partes remanerent: tum ex colore, odore, & præcipue ex effectu, poſtquam Decoctum aliquot Nigritis, de tenſis hypochondriis & dolore præcordiorum querentibus, eſſet propinatum, certiſſime edoctus fuit, Indianum ſibi verum corticem indicaviſſe. Magnum commodum, quod ex hoc remedio percipiebatur, efficiebat, ut quivis ſcire cuperet, quale hoc medicamentum foret, quod tamen aliquamdiu celatum, ob arborum inopiam: ſed paulo poſt remedium detectum fuit, ad arbores cortice privatos attendendo; & ita aliis nonnullis innotuit* (f).

Primus autem, qui in Europa hunc Corticem accepit, eſt peritiſſimus apud Trajectinos Pharmaco-

(f) Sic retulit Vir Doct. in Ep. ad Cl. VOLTELEN, ſuaque & frequenti experientia Corticis hujus virtutes iterum confirmavit in morbis chronicis, pituitoſis, aquoſis, obſtructionibus, hydrope pectoris, cordis palpitatione, chloroſi, fluore albo, cet.; imprimiſque in hiſce Tincturam laudavit cum Spir. Sacchari, ſ. Rum aut Taffia paratam.

copoeus L. JULIAANS, *Vir, rerum naturalium ſtudio perinde atque eleganti collectione dudum clarus; cui ex Surinamia ejus portio quædam, una cum foliis, floribus & fructibus, liquore ſpirituoſo aſſervatis, tum & ſiccatis, ab affine ſuo miſſa eſt, quotannis, in hunc uſque diem, nova etiam copia liberaliter aucta. Hunc, quem ſolus poſſidebat, & etiamnum poſſidet, corticem variis Medicis tentandum dedit: quæ tentamina collecta olim publici juris facere, animo volvebat digniſſimus memorati Viri filius Doct.* A. JULIAANS(g), *ſed prætura morte ſuis & arti infauſte ereptus.*

Poſt hoc fatum curam colligendarum obſervationum in ſe ſuſcepit Cl. VOLTELEN, *vireſque remedii ulterius exploravit. Qui me, quum de Diſſertatione inaugurali conſcribenda cogitarem, tum ſuas, tum aliorum Medicorum cum ipſo communicatas obſervationes, ut publici juris facerem, concedendo, ad hoc argumentum elaborandum incitavit. Nec hic ſubſtitit viri Cl. & Præceptoris, grato ſemper animo colendi, benevolentia, dum pro conficienda deſcriptione Botanica, ſpecimina, quæ aſſervabat, variaſque deſcriptiones, ex colonia Surinamenſi miſſas; & pro examine Chemico rite inſtituen-*

(g) Vid. egregia Ejus Diſſertatio Chemica Inauguralis *de Reſina Elaſtica Cajennenſi.* Traj. ad Rhen. 1780 pag. 6 & 7.

tuendo, inſtructiſſimi laboratorii Academici uſum conceſſit.

Hoc modo ad argumenti pertractationem egregie inſtructus, hunc ordinem obſervandum cenſui, ut in tria Capita opuſculum dividerem.

Primum *Botanicæ arboris conſiderationi dicatum erit.*

Alterum *notas externas Corticis, ejusque Chemicum examen continebit.*

Tertio *autem* Capite, *præmiſſis celeberrimorum Medicorum Obſervationibus & judiciis, de Viribus medicatis hujus Corticis, & de modo exhibendi agetur.*

Adjecta eſt Tabula, ad ſpecimen liquore ſpirituoſo aſſervatum, delineata.

DIS-

DISSERTATIO

DE

CORTICE GEOFFRÆÆ SURINAMENSIS.

CAPUT PRIMUM.

Continens Botanicam Geoffrææ Surinamenſis *conſiderationem.*

§. I.

Quamdiu cognita fuerit Geoffræa.

Tantus eſt vegetabilium a recentioribus detectorum numerus, ut, ſi ulla, Botanices certe ſcientia, veteribus hodiernos antecellere, merito arguere mihi videar. Nec hoc mirabitur, qui perpenderit, quanto præſtantiora recentioribus fuerint media, quorum ope elegantem hanc Scientiæ Naturalis partem adaugere potuerunt, & in quantum præterea inveſtigationum campus auctus ſit per innumeras plagas, priſcis incognitas, a recentioribus demum detectas. His adminiculis tantum incrementi cepit Res Herbaria, ut longe maxima vegetabilium, hodie cognitorum, pars veteres latuerit. Hæc cum ita ſint, mirum non

eſt, plantæ non tantum, de qua differere animus eſt, mentionem a veteribus non fieri, ſed nullius Speciëi Generis, ſub quo militat, mentionem occurrere ante ſcriptores ſuperioris ſeculi; tanto minus, cum ſpecies, quæ hactenus innotuerunt, Americam patriam agnoſcant.

§. II.

Characteres naturales Generis Geoffrææ.

Genus hoc, cui *Geoffrææ* vel *Geoffroyæ* nomen indidit Cel. JACQUIN in memoriam Viri Cel. J. C. GEOFFROY, in *Syſtemate* LINNEANO pertinet ad Claſſem *Diadelphiorum*, & quidem ad Ordinem ejus ultimum, qui flores decandros comprehendit. Generis autem ſequentes Characteres Naturales ab Ill. LINNÉO (*a*) recenſentur:

CAL. *Perianthium* monophyllum, campanulatum, ſemiquinquefidum, *laciniis* duabus ſuperioribus divergentibus, patentibus.

COR. Papilionacea: *Vexillum* ſubrotundum, emarginatum, planum, reflexum. *Alæ* longitudine vexilli, obtuſæ, concavæ. *Carina* compreſſa, longitudine & figura alarum.

STAM. *Filamenta* diadelpha (ſimplex & novemfidum), longitudine carinæ. *Antheræ* ſubrotundæ.

PIST.

(*a*) In *Gen. Plant.* Gen. 952. Ed. REICHARDI Francof. ad Moen. 1778.

Pist. *Germen* ſubrotundum. *Stylus* ſubulatus. *Stigma* obtuſum.

Per. *Drupa* ſubovata, magna, ſulco utrimque longitudinali.

Sem. *Nux* ſubovata, ſublignea, compreſſiuſcula, ſulco utrimque longitudinali, acuta, bivalvis.

§. III.

Genera affinia.

Genera miro huic Generi affinia hactenus ignota ſunt, a quibus ſollicite diſtingui opus habeat; unicum enim eſt in tota Diadelphiorum Claſſe Genus, quod Drupam profert. Mirari magis ſubit, fructum drupaceum in planta florem papilionaceum gerente occurrere; magisque hoc mirum, ſi attendamus, quanta inter Piſtillum (noſtræ ſaltem Speciei, ut ex Fig. 6 adjectæ Tabulæ videre licet), & Piſtilla plerorumque hujus claſſis Generum, Legumina proferentium, intercedat ſimilitudo: quis enim, ſi planta ipſi ignota eſſet, ex ſimili Germine non Legumen potius, quam Drupam, exſpectaret? Conjecturas hac de re proponit Cel. Jacquin, inter quas vero non pronunciat (*b*).

§. IV.

(*b*) Vid. Jacquin *Hiſt. Stirp. Amer.* pag. 207.

§. IV.

Ordo Naturalis.

Ad Ordinem Naturalem quod attinet, Ill. LINNÉUS *Geoffræam* ad Ordinem Plantarum *Papilionacearum* retulit (*c*): nec ſane ad ullum Ordinem Naturalem majori jure referri poteſt, ſive floris Calycem conſideres, ſive Corollam perfecte Papilionaceam, ſive Stamina Diadelpha, pleriſque Papilionaceis communia: nec Folia ab hujus ordinis plantarum foliis recedunt, hæc quippe pinnata ſunt, omnium frequentiſſime (uti notum eſt) in Papilionaceis obvia. Maxime vero ab hoc Ordine recedit fructu ſuo, quo ad Ordinem *Pomaceorum*, & illorum quidem, qui Drupam proferunt, accedere, diceres; nam Drupa Generi noſtro eſt carnoſa, magna, ſubovata, ſulco per longitudinem notata, unicam nucem duram continens, prorſus ut in memoratis Pomaceis: prætereaque eo accedere videtur, quod cultura forte, uti in Pomaceis multis fieri ſolet, Drupæ pulpam gratam & edulem reddi poſſe, nonnulla ſuadent. *Geoffrææ* ſaltem *Spinoſæ L.* fructus, qui ſaporis eſt dulceſcentis, coctus comedi ſolet, Auctore MARCGRAVIO (*d*). Quin & al-

(*c*) Vid. *Fragmenta Methodi Naturalis* ſubjecta operi de *Gen. Plant.*

(*d*) In *Braſil.* lib. III cap. 13.

alterius Speciëi meminit PISO (*e*), (quæ vero Species deſcripta non eſt), cujus fructus acidiore ſapore eſt, & ſtomachi æſtum temperat, ideoque a febricitantibus expetitur. Hæc tamen non ſufficere, crediderim, ut ab Ordine Papilionacearum *Geoffrææ* Genus divellatur, cum tot habeat, tamque manifeſta cum hoc Ordine communia attributa, & longe minus apte ſub alio Ordine collocari poſſit. Nec profecto, dum Naturam ſaltus non facere, uſus indies confirmat, aliter eſſe poteſt, quin Ordines Naturales mutuo affinitatem monſtrent.

§. V.

Species Geoffrææ, *quæ deſcriptæ exſtant.*

Sequitur jam, ut ad Species *Geoffrææ* progrediamur, quas ipſis Auctorum verbis, qui eas optime deſcripſerunt, plene tradam, cum hi libri non in omnium manibus ſint. Apud LINNÉUM unica tantum Species memoratur, ſcilicet G. *Spinoſa* (*f*). Prima hujus mentio ſub nomine *Umari* vel *Camarinchas* occurrit apud MARCGRAVIUM (*g*); deinde apud G. PISONEM (*h*): ex his deſcriptionem

(*e*) Vid. GUL. PISO *de Indiæ utriusque re naturali & medica* pag. 174.

(*f*) Vid. *Syſtem. Veget.* Edit. XIV pag. 667. & *Syſt. Plant.* Tom. III. pag. 485. Ed. REICHARD. Francof. 1780.

(*g*) l. c. Lib. III cap. 13.

(*h*) l. c. pag. 174.

A 3

nem ſuam deſumſit Rajus (*i*). Omnium vero primus hanc arborem plene deſcripſit, fructusque iconem addidit Cel. Jacquin (*k*), ſequenti modo:

Cal. *Perianthium* monophyllum, campanulatum, dorſo compreſſo angulatum, ſemiquinqueſidum, *laciniis* planis, longitudine fere æqualibus, quarum duæ ſuperiores ſubrotundæ, acutæ, diverſæ, minus profunde inciſæ, patentiſſimæ, tres inferiores lanceolato-ovatæ, acuminatæ, patulæ.

Cor. Papilionacea. *Vexillum* ſubrotundum, emarginatum, planum, reflexum, ungue plano, & tubo Calycis breviori. *Alæ* duæ oblongæ, concavæ, obtuſæ, erectæ, longitudine vexilli, baſi auctæ appendiculo, unguibus tenuibus, & longitudine tubi calycis. *Carina* compreſſa, figura, ſitu & fere longitudine alarum.

Stam. *Filamenta* decem, diadelpha (ſimplex & novemfidum), erecta, apicibus leviter adſcendentibus, longitudine carinæ. *Antheræ* ſubrotundæ, parvæ.

Pist. *Germen* ſubrotundum, parvum. *Stylus* ſubulatus, ſitu & longitudine Staminum. *Stigma* obtuſum, ſimplex.

Per. *Drupa* ſubovata, magna, mollis, notata utrim-

(*i*) In *Hiſt. Plant.* Tom. II pag. 1518.
(*k*) l. c. pag. 207. & Tab. 180 fig. 62.

utrimque ſulco longitudinali, in latere compreſſiuſculo minus conſpicuo.

SEM. *Nux* ſubovata, magna, acuta, compreſſiuſcula, ſulco utrimque longitudinali, ſublignea, unilocularis, bivalvis. *Nucleus* ejusdem figuræ.

Arbor inelegans, ramoſa, erecta, duodecempedalis, *Spinæ* raræ, ſubulatæ. *Folia* pinnata, coſta glabra, ſuperne ſulcata, quadripollicari, *Foliolis* utrimque ſæpius ſeptem cum impari, oblongis, obtuſis, glabris, integerrimis. *Racemi* ſimplices, denſi, axillares, tres quatuorve pollices longi. *Flores* brevisſime pedunculati, corollis ſordide fulvis, odorem ſpirant foetidisſimum. *Drupa* refert amygdalum recentem; cortice veſtitur leviſſime tomentoſo, colore eſt flavo virenti: pulpa eſt mollis, dulcis, odoris nauſeoſi, ſubflava, manumque inquinat. Habitat in Carthagenæ ſylvis arenoſis, & Braſilia.

Altera Species, quæ deſcripta exſtat, eſt *G. Jamaïcenſis.* Varii hujus mentionem fecerunt Auctores ſcopo medico. Primam autem deſcriptionem dedit Doct. WRIGHT (*l*). Juxta quam hæc Species eſt *Arbor* erecta, glabra, quæ ad magnam altitudinem, ſed parvam craſſitiem excreſcit, ramoſa; ligno duro, polituram admittente: *Racemis*

(*l*) *Phil. Tranſact.* Vol. LXVII part. 2 Art. 28 pag. 507 ſeqq.

mis longis, pulchre ramoſis: *Floribus* numeroſis, multum mellis continentibus, quo millenæ apes, muſcæ & aviculæ nutriuntur. *Calyces* ſunt profunde purpurei. *Corollæ* coloris roſarum pallidarum. *Pericarpium* eſt fructus viridis, durus; pulpa craſſitiem habet monetæ argenteæ (*Crown-piece*), & auſtero ſapore eſt. *Nucleus* tegitur cortice fusco, ut reliquæ nuces; admodum durus eſt, & ſaporis adſtringentis. Ulterius dein deſcribitur hæc *Geoffræa* (*m*) hoc modo:

FOL. oppoſita, oblongo-ovata, ternata, acuminata, ſuperne glabra, inferne enervia, petiolis brevibus.

CAL. *Perianthium* monophyllum campanulatum, leviſſime quinquepartitum, *laciniis* ovatis, brevibus.

COR. Papilionacea: *Vexillum* ſubrotundum, concavum: *Alæ* obtuſæ, concavæ, longitudine vexilli: *Carina* ovata, patens, in duabus partibus leviſſime diviſa.

STAM. Diadelpha, decem, filiformia, in calyce inſerta, longitudine alarum. *Antheræ* ſubrotundæ.

PIST. Subulatum, filiforme. *Stigma* nullum. *Germen* ovato-oblongum, compreſſum.

PER. *Drupa* ſubovata, magna.

SEM.

(*m*) Ibid, pag. 512.

Sem. *Nux* ſubovata, ſublignea, ſulco utrimque longitudinali, bivalvis.

Habitat paſſim per totam Jamaïcam. Deſcripſit hanc Wrightius ſub nomine *Geoffrææ Jamaïcenſis inermis*, vel Anglico ſub nomine *Cabbage-bark-Tree.*

§. VI.

Deſcriptio Botanica Geoffrææ Surinamenſis.

Tertiam Speciem conſtituit nondum deſcripta *Geoffræa Surinamenſis*, de qua hisce pagellis diſſerere ſcopus eſt. Hanc jam per omnes partes, quanta poſſumus accuratione & fide deſcribemus. Plenior eſſe poſſet deſcriptio; ſed vivam arborem inſpicere non licuit: nec viva unquam in Europa viſa eſt. Deſcribenda itaque fuit, ex variis ramulis partim ſiccatis, partim liquore ſpirituoſo aſſervatis. Ea igitur tantum notabo, quæ vidi, paucis exceptis; quæ ex deſcriptionibus & delineationibus, ex Surinamia transmiſſis, ſatis certo confici potuerunt, ſolis nempe iis, quæ de caule ramiſque, ut & de colore floris, invenientur.

Radix ignota.

Caulis arboreus, ligneus, erectus, longitudine plurium orgyarum, craſſitie aliquot ſpithamarum, nudus, glaber, teres: terminatus *Ramis* numeroſiſſimis, ſparſis, patentibus, ſubdiviſis, longis: *ligno* duro; coloris aurantii, fuſci: *medulla* coloris pallide flavi. Ex libro, ex

ſtrato exteriore medullæ, & ex ejus centro prodit liquor reſinoſus ruber; ubi arbor per transverſum ſecatur.

Folia (Fig. I.) oppoſite pinnata, quadrijuga cum impari, ramea, numeroſa, ſparſa, patentia. *Foliola* ovalia, ad baſin ſæpe anguſtiora quam ad apicem, obtuſa ſeu retuſa, integerrima, ſuperne nitida, ſaturate viridia, ſubtus pallidiora, utrimque glabra, venoſa, plana, petiolata, binos circiter pollices longa, pollicem lata: nervus major longitudinaliter per foliola decurrit, a quo venæ ad latera procedunt: ſuperior pagina ſecundum venarum decurſum ſulcata eſt, in inferiori ultra ſuperficiem venæ eminent.

Petioli (Fig. I.) *communes* teretes, ſuperne canaliculati, patentes, glabri, nudi, ſubligноſi. *Petioli partiales* breviſſimi, tenues, ſupra leviſſime canaliculati, folioli latitudine vix diſtantes.

Racemi (Fig. I.) compoſiti, ſublignoſi, ramei (*n*), erecti, nudi, glabri, teretes, ramoſiſſimi, diffuſi, ramis ſparſis. *Pedicelli* breves, teretes, glabri, ſparſi, oblique inſerti, ad ipſam inſertionem lateſcentes, ſuberecti.

Flo-

(*n*) Qualem proprie locum in ramis occupent Racemi, an tantum terminales ſint, an vero axillares, cum arborem non viderim, & deſcriptiones tranſmiſſæ hac in re deficiant, determinare non poſſum.

Flores (Fig. 1.) numeroſiſſimi, ſuberecti, corollis læte rubris, inodori: multum mellis continent, quod tota apium examina petunt: nulla tamen nectaria conſpiciuntur.

Cal. (Fig. 1 & 5.) *Perianthium* monophyllum, campanulatum, inferum, quinquefidum, deciduum, glabrum, *laciniis* breviſſimis, acutiuſculis, erectis, binis ſuperioribus latioribus, divergentibus.

Cor. Papilionacea, pentapetala, patens, calyce ſubtriplo longior.

Vexillum (Fig. 2.) *ungue* tenui, anguſto, longitudine calycis: *lamina* ſubrotunda, emarginata, integerrima, ſtriata, utrimque glabra, reflexa, in medio per longitudinem leviter ſulcata, & binis maculis profundius purpureis notata.

Alæ (Fig. 3.) fere longitudine vexilli, erectæ. *unguibus* anguſtiſſimis, linearibus, longitudine calycis: *laminis* ſemicordato-oblongis, obtuſis, integerrimis, extrorſum convexis, intus concavis, utrimque glabris.

Carina (Fig. 4.) dipetala, petalis longitudine & figura alarum, paulo tamen latioribus, magis concavis, & baſi laminæ ulterius procurrente, erectis, patentibus, margine inferiore leviter inflexo.

Stam. (Fig. 5.) *Filamenta* decem, filiformia, diadelpha (ſimplex & novemfidum), flaveſcentia, ſurſum reflexa, petalorum fere longitudine: ſimplex filamentum brevius, ſuperius: novem-

ſidum in tubum connatum cylindricum ad longitudinem circiter mediam ſtaminum, ſecundum longitudinem ſurſum hiantem.

Antheræ ſubrotundæ.

PIST. (Fig. 6.) *Germen* ſuperum, oblongum, compreſſum, baſi tenui inſidens, dein ſubito lateſcens & deorſum inflexum, glabrum, tubo ſtaminum longius.

Stylus filiformis, ſubulatus, glaber, ſurſum reflexus, brevis.

Stigma obtuſum, ſimplex.

PER. (Fig. 7.) *Drupa* carnoſa, compacta, ovalis, ab una parte planiuſcula, ſulco longitudinali utrimque notata, glabra s. tuberoſa.

SEM. (FIG. 8.) *Nux* bivalvis, ab una parte complanata, ovalis, duriſſima, monoſperma, extus fibrilloſa, longitudinaliter ſulcata.

Nucleus magnus, intus albus, extus cuticula fuſca obtectus, figuram nucis habens.

§. VII.

Notæ Characteriſticæ, quibus G. Surinamenſis *ab aliis Speciebus diſtinguitur, & inde elicita definitio ſpecifica.*

Ex deſcriptione jam eluceſcit, quo jure noſtra Species ad *Geoffrææ* Genus referatur; tanta enim eſt inter hanc & binas alias Species convenientia, ut eam ab his ſeparare non congruum videatur, etiamſi Carina in noſtra Specie ſit dipetala, & aliqua etiam in

Ger-

Germine differentia videatur eſſe; tanto minus, cum plurima dentur exempla Specierum in aliqua floris parte a congeneribus abludentium, quin tamen novum inde Genus conſtituatur, præſertim, ſi ejuſmodi Genus paucas tantum Species ſub ſe comprehendat, ut in noſtro caſu obtinet.

Perſpicitur ſimul ex deſcriptione, qua ratione aliæ Species ſignis characteriſticis a noſtra diſtent. *G. Spinoſa L.* a *G. Surinamenſi* differt caule ſpinoſo, racemis ſimplicibus, carina monopetala, compreſſa & germine ſubrotundo. *G. Jamaïcenſis* autem a Specie noſtra differt foliolis ovatis, acuminatis, calyce colorato, profunde purpureo, vexillo introrſum concavo, & carina monopetala. Quæ omnia ſi in ſummam contrahamus, ſequens definitio ſpecifica inde elici poſſe videtur:

Geoffræa *Surinamenſis* inermis, foliolis ovalibus obtuſis s. retuſis, carina dipetala.

§. VIII.

Locus natalis & nomina G. Surinamenſis.

Nomen ſpecificum a loco natali deſumſi; habitat enim in illa Guyanæ Belgicæ parte, quæ *Surinamia* vocatur. An in aliis Guyanæ partibus inveniatur, non conſtat, licet vero videatur ſimile. Incolit ſylvas, & loca amat arenoſa, elatiori in ſolo poſita: rarius in arvis cultis obvia eſt. Bis in anno floret, fructusque profert; quibus autem menſibus hoc fiat, ex tranſmiſſis deſcriptionibus non liquet.

 No-

Nomen ab Indianis ſive incolis naturalibus accepit *Wewe:* Nigritæ autem idiomate ſuo Nigrita-Anglico (*Neger-Engelſch*) arborem vocant *Blakke Cabbes* i. e. Latine *Cabbes nigrum*; vel *Worm-houde* Lat. *Cortex anthelminticus.*

§. IX.

Pauca de alia Geoffrææ *Specie*, *vel alicujus Speciëi Varietate.*

Atque ita Botanico *G. Surinamenſis* ſcrutinio finem imponere poſſem, niſi verbulum addendum ſupereſſet de alia quadam ſive Specie, ſive Speciëi cujusdam varietate; cujus cum ſpecimina non viderim, referam ea, quæ ex deſcriptionibus & obiter etiam facta delineatione conſici potuerunt. Arbor hæc *Caulem* habet erectum, hic illic ramos alternos emittentem. *Folia* ſunt pinnata cum impari, ſed quinque paria conſtanter obſervantur; *foliola* ſunt ovata acuminata, magis glabra, minus nervoſa, quam in deſcripta noſtra Specie. *Flores* numeroſi in racemis collocantur, papilionacei, coloris pallide coerulei. Partes floris ſatis cum noſtra Specie conveniunt, ſed ex una deſcriptionum Carina videtur eſſe monopetala. *Fructus* eſt Drupa nucem continens ovatam, acuminatam, magnitudine nucis juglandis. Bis in anno floret. Vocatur ab incolis Indianis *Hereiouré:* Nigritæ etiam vocant *Maſculam*, ut a deſcripta noſtra Specie eam diſtinguant, cui viribus anthelminticis longe cedit. Satis frequenter hæc occurrit, quod no-

notari meretur, quia fieri poſſet, ut in poſterum hujus cortex, qui ob virium debilitatem in Surinamia inuſitatus eſt, per fraudem vero Cortici ſubſtituatur.

Ex figura foliolorum ſi concludere licet, proxime accedit ad *G. Jamaïcenſem*, cum qua forte eadem Species ejusve varietas eſt.

CAPUT SECUNDUM.

Exhibens Corticis Geoffrææ Surinamenſis *notas externas & examen Chemicum.*

§. I.

Notæ externæ Corticis Geoffrææ Surinamenſis.

Deſcriptæ arboris cortex ad uſus medicos adhibetur. Hujus notas externas jam trademus.

De trunco detractus in fruſta longitudinalia plana ſecatur, pedem & ultra longa, pollices aliquot lata, ponderoſa, notabilem craſſitiem habentia; quæ tamen craſſities differt pro arboris ætate, vel prout a ramis vel a trunco cortex deſumitur. Exterior hujus facies tegitur variis vegetabilibus e Muſcorum & Algarum familia, præſertim Lichenibus, unde color extus maximam partem cinereus eſt. His ſeparatis epi-

epidermis conſpicitur coloris rubri, purpurei, fuſci, intermixto cinereo, pro varia ætate trunci, unde cortex deglubitur. Sub hac latet corticis ſubſtantia filamentoſa, lamelloſa, admodum tenax, compacta, coloris intus ferruginei, fuſceſcentis, interdum magis diluti, præſertim, qua ligno propior eſt, intermixtis hic illic ſtriis, maculisque profundius coloratis, rubris, fuſcis. Per transverſum ſectus cortex ſplendet, & colorem offert variegatum: in pulverem tritus pallide cinnamomeum. Denique ubi ligno contiguus eſt cortex, colorem induit atro-purpureum, vel ex nigro, purpureo & albo variegatum, vel & punctis albicantibus interſperſum.

Cortex inodorus eſt, ſaltem, ſi aliquamdiu aſſervatus fuerit; recens enim ubi ex Surinamia advehitur, odorem proprium nauſeoſum ſpirat. Saporem, ſi diu maſticatur, leviter amarum, acerbiuſculum habet. Sapor minus manifeſtus eſt in annoſioris trunci cortice; cujus nonnulla fruſta fere inſipida ſunt. Inſignior vero eſt amarities in lamella illa atro-purpurea, quæ corticem ab interiore parte inveſtit; ut adeo ſapor multum differat, prout laminæ exteriores, vel interiores guſtu explorentur.

§. II.

Notæ præcipuæ, quibus Cortex Geoff. Jamaic. *a noſtro Cortice diſtinguitur.*

Poſtquam Cortex noſter tentaminibus practicis inſervire frequentius coepit, irrepſit paſſim in offici-

ci

cinas ex Anglia allatus Cortex *Geoffrææ Jamaïcenſis*, & pro noſtro divendi ſolet. Cujus tamen cum diverſum ſit ingenium, effectus longe violentiores; doſiſque limitata magis eſſe debeat, ut adeo non innocue alter alterius ſubſtitui in locum poſſit; e re duxi, hic notas adjicere, quibus Cortex *Jamaïcenſis* a *Surinamenſi* diſcrepat.

Fruſta Corticis *Jamaïcenſis*, licet ſatis magna ſint, longe tamen noſtro cedunt magnitudine. Fruſta, quæ vidi, longitudine æquant ſex circiter pollices; latitudo vix duorum pollicum eſt, plerumque unius. Nec æque plana ſunt fruſta, ut adeo videas, ex arbore minoris diametri deſumta eſſe; diametro enim trunci *Geoffræa Jamaïcenſis* cedit *Surinamenſi* (*a*). Minor etiam eſt fruſtorum craſſities. Exterior facies minus Lichenibus inveſtitur, unde minus griſea eſt. Corticis ſubſtantia lamelloſa quidem, attamen longe magis compacta eſt, & hinc ponderoſior. Transverſaliter ſectus Cortex *Jamaïcenſis* magis ſplendet. Color multum differt; hic quippe intus Rhabarbari fere colorem æmulatur, paulo tamen dilutior, ex flavo & viridi mixtus. Ubi vero lignum tangit, color quoque profundior eſt, non vero nigricans; ſed ex flavo fuſcus. Odor, imprimis ſi parum fricatur, manifeſtior eſt, quam in Cortice *Surinamenſi*. Ma-

(*a*) Vid. Wright l. c. pag. 507, & conferantur ea, quæ ſupra de caulis *Geoffrææ Surinamenſis* craſſitie dicta ſunt Cap. I. § 6.

Maxima etiam eſt in ſapore differentia, hic enim amarorem inſignem mox exhibet: ita ſaltem cortex *Jamaïcenſis* a nobis exploratus; quamquam ſcripſerit WRIGHTIUS, recentem hunc corticem ſaporis eſſe mucilaginoſi, dulcis & inſipidi (*b*). Differentia hæc ab exſiccatione forſitan derivanda eſt. In cortice vero *Surinamenſi*, etiam ſiccato, leviſſima tantum amarities poſt aliquam maſticationem ſe oſtendit.

Allatæ notæ ſufficiunt, ut & a ſe invicem, & ab aliis corticibus diſtinguatur uterque cortex *Geoffrææ*; nedum a cortice *Mezerei*, qui tamen per ſummam inſcitiam nuper pro cortice *Geoffrææ* incaute venditus fuit (*c*).

§. III.

EXAMEN CHEMICUM.

Deſtillatio ſicca.

Quo pleniorem haberem chemicam analyſin, facta eſt primo *Deſtillatio ſicca.*

Itaque Cort. *Geoffr. Surinam.* unc. 16, in minora fruſtula ſciſſæ, retortæ vitreæ in balneo arenæ immiſſæ ſunt, &, applicato excipiente vaſe, lenis primo ignis, calorem aquæ ebullientis non ſuperans inſtructus eſt. Quo per diem continuato, prodiit *Phlegma*

(*b*) l. c. pag. 508.

(*c*) Taceo, nonnullos quoque cum Cortice *Geoff. Surin.* confudiſſe corticem quemdam Nigritis *Tinkihoude*, dictum, quique eidem fini inſervit, ac Cocculi Indici, ad piſces inebriandos. Hunc tamen Corticem a noſtro multum differre, ex fide digna relatione certo comperi.

ma ferę excolor, odoris debilis nauſeoſi, huic cortici proprii, nonnihil etiam empyreumatici, ſaporis aliquantum aciduli: cum alkalino ſale tamen non efferbuit, nec colorem ſyrupi Violarum mutavit; tincturæ tamen Heliotropii colorem rubrum fecit. Erat pondere unc. 2 dr. 5 gran. 15.

Altero die ignis gradus major applicatus eſt, quo itidem per diem continuato obtinuimus *Spiritus* unc. 1 dr. 4 gran. 35. Hic Spiritus colorem habuit rubrum, fuscum: odorem ambuſti ligni, vel carnium fumo induratarum; ſaporem acidiſſimum, empyreumaticum. Fortiter cum alkalino ſale efferbuit, facta deinde lacteſcentia, guttulaque olei enatante, indicio non purum, ſed, ut ſolet, oleo nonnihil inquinatum jam fuiſſe hunc Spiritum.

Tertio die ignis ſenſim ad ſummum gradum, quem vas ferre poterat, auctus eſt. Quo calore prodierunt *Spiritus poſterior*, & *Oleum*, pondere unc. 2 dr. 4 gran. 50. Spiritus poſterioris color magis fuſcus erat; odor ambuſtus; ſapor acidus, amaricans: parum tamen cum lixivio alkalino efferbuit: oleo nempe copioſius admixto admodum obtuſus erat acor. Oleum ſpiſſum fuit, nigrum, piceum, ita ut magna pars & in retorta, & etiam in excipulo remanſerit, firmiter eorum parietibus adhærens, nec eximenda. Pro maxima parte Oleum hoc Spiritu gravius erat; una tantum alterave guttula enatante. Odor empyreumaticus. Sub ultimi Spiritus & Olei excuſſione multum vaporis elaſtici exiit.

In retorta relictus fuit *Carbo* niger, figuram fruſtu-

lorum ſervans, friabilis, pondere unc. 5 dr. 3 gran. 30.

Si jam omnia producta computamus, una cum pondere Carbonis, habemus unc. 12 dr. 2 gran. 10. Perdidimus itaque ex unc. 16 unc. 3 dr. 5 gran. 50: quæ jactura derivanda eſt, partim ab Oleo ſpiſſo vaſis adhærente, nec inde ſeparando, partim a vapore elaſtico, qui luto ſe coërceri non ſinebat.

Carbo in pulverem redactus nihil ferri ad magnetem oſtendit. De ejus incineratione & elixiviatione infra dicetur.

§. IV.

Deſtillatio humida.

Ut appareret, an volatile quid Cortici ineſſet, inſtituta eſt *humida Deſtillatio.* Cort. *Geoff.* conſciſſæ unc. 32 hunc in finem cum aquæ pint. 14 immiſſæ ſunt aheno. Poſt frigidam digeſtionem 24 horarum applicatus eſt alembicus, & per 12 horas facta tepida digeſtio. Tunc admotus eſt ignis, & ſub leni coctione prodiit *Aqua ſtillatitia.* Continuata eſt deſtillatio, donec pint. 7 abſtractæ eſſent.

Hæc aqua limpida fere erat, aliquantum tamen lacteſcens ab innatantibus particulis floccoſis; omni vero oleo penitus deſtituebatur. Odor nauſeoſus erat, peculiaris, ſatis fortis, ſimilis illi, quem phlegma ſiccæ deſtillationis ſpirabat. Sapor odori ſimilis, fatuus. Lacteſcentia, odor & ſapor in initio deſtillationis magis manifeſti erant, ſenſim verſus finem minuebantur.

Aqua ſtillatitia colorem ſyrupi violarum & tinctu-

ræ Heliotropii non mutavit. Nullam fecit præcipitationem ex ſolutione Mercurii ſublimati corroſivi, nec ex ſolutione Argenti. Aquam calcis pariter non turbavit.

Liquor, qui in aheno ſupererat, odoris expers erat. Sapor ejus amarus, adſtringens. Color ruber, fuſcus, valde ſaturatus, pellucidus tamen. Cum ſolutione vitrioli Martis atramentum faciebat.

Cortex ad deſtillationem adhibitus eandem retinuerat formam, & ſapore fere carebat.

§. V.

Extractum aquoſum.

Liquor a deſtillatione humida ſuperſtes poſt ſubſidentiam per chartam colatus eſt, & leni evaporatione inſpiſſatus ad conſiſtentiam mellis craſſioris. Ita exhibuit *Extracti aquoſi* unc. 2 dr. 6 gran. 24. Sub evaporatione odor iterum, qui aquæ ſtillatitiæ inerat, obſervabatur. *Extractum* hoc colorem habuit nigerrimum: odorem levem peculiarem, amygdalarum amararum odorem referentem: ſaporem amariſſimum, acerbum. Cum aqua conquaſſatum valide ſpumabat: ſpuma colorem habebat leviter rubrum, carneum. Aqua colorem inde fuſcum inducebat. Humiditatem ex aëre non attrahit, ſed ſuam ammittit, ſenſimque exſiccatur.

Corticis, qui deſtillationi humidæ inſervierat, facta eſt altera per horam cum aqua decoctio (demtis

unc. 4 ad aliud experimentum ſervandis). Decoctum colorem habuit rubrum, fuſcum, minus ſaturatum: ſaporem amaricantem, ſubadſtringentem: nullum odorem. Cum ſolutione vitrioli Martis nigricantem quoque colorem dedit. Poſt colaturam hoc etiam Decoctum per evaporationem inſpiſſatum eſt in *Extractum*, priori omnino ſimile, ſi colorem excipias, minus obſcure nigrum. Odor amygdalarum etiam manifeſtius percipiebatur. Pondus erat unc. 1 dr. 2 gran. 32.

Ut autem de *Extracti aquoſi* quantitate accuratius conſtaret, corticis *Geoffrææ*, debite conciſi, unc. 8 cum aquæ pluviæ pint. 6 leniter decoctæ ſunt per ſeſquihoram. Decoctum, poſt colaturam per linteum & chartam, ſpiſſum fuit, fuſco-rubrum, ſaturatiſſimum, pellucidum tamen. Reſiduo additæ denuo ſunt aquæ pint. 6, & per idem tempus repetita decoctio. Colatus liquor priori ſatis ſimilis fuit, paulo minus tamen ſaturatus. Tertia vice additæ ſunt totidem pintæ aquæ, & per bihorium facta decoctio. Decoctum poſt colaturam colorem dilute fuſcum, rubrum exhibuit. Quarta vice cum eadem aquæ copia decoctus eſt idem cortex per bihorium. Poſt colaturam Decoctum colorem habuit leviter bruneum, flaveſcentem; ſaporem amaricantem vix multum ſenſibilem. Ab ulteriore decoctione itaque abſtinuimus.

Omnes hæ decoctiones inter ſe commixtæ leni evaporationi, qua in *Extractum* inſpiſſarentur, expoſitæ

ſunt

ſunt. Pellicula ſub evaporatione in ſuperficie continuo enaſcens caute ablata eſt & ſeorſim ſervata. Cumque hæ pelliculæ fundum ſæpe peterent, deſuſo poſtea liquore, eædem quoque ablatæ ſunt.

Poſt peractam inſpiſſationem ad conſiſtentiam mellis craſſioris vel electuarii, *Extractum* ponderavit unc. 1 drachm. 2 gran. 36: pellicula vero ſeorſim ſervata dr. 3 gran. 4. Colorem habebat nigrum; pellicula ad fuscum magis vergebat. Odor utrique erat amygdalas amaras referens. Sapor admodum amarus. Cum aqua ſpumabant, eique colorem fuscum tribuebant.

§. VI.

Reſina.

Ad *Reſinam* ex cortice noſtro obtinendam, ejus unc. 8, tenuiter conſciſſæ, cum Spiritus Vini optimi unc. 40 tepide in phiala digeſtæ ſunt per quatuor nuchthemera. Deſuſus & per chartam filtratus liquor Tincturam exhibuit profunde rubram, admodum ſaturatam, qualem vix ullum vegetabile ſiſtit. Odorem non alium fere habuit, quam quem a ſpiritu vini mutuabat. Eidem cortici denuo affuſæ ſunt ſp. vini ejusdem unc. 32. Poſt tepidam per hebdomadem digeſtionem, filtrata Tinctura colorem elegantiſſime rubrum, priori minus ſaturatum, oſtendit. Tertia vice cortici affudi ſp. vini unc. 16. Poſt tepidam quatuor dierum digeſtionem, deſuſum liquidum colorem jam leviter rubellum aut flavum habuit; quapropter, ab ulterioribus digeſtionibus deſiſti poſſe,

pu-

putavi. Inſumtæ itaque fuerunt ſp. vini unc. 88.

Omnes hæ Tincturæ remixtæ, ut maxima ſpiritus pars abſtraheretur, in retorta leni calori expoſitæ ſunt. Spiritus, quem inde obtinuimus, nulla dote ſenſibili a ſp. vini rectificato differebat. Poſt hujus abſtractionem, tinctura, quæ ſupererat, leni calore inſpiſſata eſt, donec craſſitiem ſyrupi tenuioris haberet. Sub hac evaporatione particulæ reſinoſæ jam ſenſim fundum petebant. Liquidum ſic inſpiſſatum immiſſum eſt in pintas 18 aquæ puræ, unde facta eſt lacteſcentia, & plena *Reſinæ*, præcipitatio. Hanc itaque filtratione per chartam a liquore ſeparavimus, quæ rite ſiccata ponderavit drachm. 1 gran. 24.

Reſina hæc friabilis erat, digitis parum adhærens. Manducata dentibus adhærebat. Color erat profunde ruber. Odor ſpirituoſus, reſinoſus. Sapor amaricans. Super carbone ignito ſub intumeſcentia fumum emittebat odoris reſinoſi. Accedente flamma ardebat, relicto tandem carbone nigro, ſpongioſo, friabili.

Aqua ad præcipitandam *Reſinam* adhibita, per filtrum trajecta, colorem habuit fuſcum, quaſi Decocti tenuioris. Hæc etiam inſpiſſata eſt: ſic, ubi ad *Extracti* conſiſtentiam devenit, pondus habuit dr. 6. Aliis *Extractis* & hoc ſimile fuit, niſi quod odor *Reſinæ* odorem referret. Et multum hujus adhuc in hoc liquore fuiſſe, concludendum videtur ex eo, quod ſub inſpiſſatione particulæ ſe ex aqua magna ſatis copia ſeparabant.

§. VII.

§. VII.

Extractum aquoſum Corticis, ex quo Reſina elicita erat.

Cum autem per digeſtionem ope Spiritus vini *Reſina* præcipue elicita eſſet, tentavi, annon *Extracti aquoſi* portio in Cortice relicta eſſet. Quem in finem hunc Corticem, ter cum ſp. vini jamjam digeſtum, cum aquæ pint. 6 per bihorium decoquendum curavi. Decoctum rite percolatum colorem monſtrabat rubellum, leviter fuſcum. Facta eſt cum eadem aquæ copia perque idem tempus altera & tertia coctura. Cumque tertium Decoctum parum tantum coloratum eſſet, a coctione deſtiti; & liquores omnes leni igne inſpiſſati ſunt. Sub evaporatione pellicula in ſuperficie non apparuit.

Decoctum ad eandem cum reliquis *Extractis* ſpiſſitudinem redactum ponderavit dr. 4 gran. 52. Colorem, odorem, ſaporem, reliquaque attributa cum prioribus *Extractis* communia habuit.

§. VIII.

Reſina ex Cortice, qui Extractum aquoſum jam dederat.

Cumque ſic conſtaret, ſpiritum vini multum *Extracti aquoſi* ſimul exſolviſſe (§. 6), partem tamen intactam reliquiſſe (§. 7), experiundum erat, an non & aqua ſub coctione in *Reſinam* egiſſet. Corticis itaque, ad deſtillationem Aquæ ſtillatitiæ adhibi-

partim tepida, facta eſt, ſæpiusque mixtura conquaſſata. Tinctura poſt colationem colorem leviter rubrum, ſaporem amaricantem habuit; indicio, *Reſinam* vere in *Extracto* adfuiſſe. Relicta eſt materies in ſpiritu vini ſe ſolvi non ſinens.

Reſinam hanc una cum *Extracto* in aqua ſuſpenſam conſtituere pelliculam illam, quæ ſub hujus inſpiſſatione enaſcebatur (§. 5), probabile videbatur. Qua propter pelliculam hanc ſeorſim ſervatam, pondere dr. 3 gran. 4 cum ſpir. vini rectif. unc. 4 in vaſculo per plures dies digerendam poſui, partim tepide, partim frigide, ſæpiusque conquaſſavi. Ex parte ſoluta eſt, & Tincturam dedit auream, rubentem, ſaporis amari. Multum relictum fuit indiſſolubile, quod coloris erat fuſci, & hic illic ſplendebat. Sapor huic reſiduo nullus erat. Dentibus ſub maſticatione adhærebat. In aqua perparum ſolvebatur; maxima pars indiſſolubilis erat.

Videtur itaque hæc pellicula ſub Decocti inſpiſſatione enaſcens eſſe *Reſina*, per calorem & aquam decompoſita; ut poſtea nec a ſpiritu vini, nec ab aqua ſe ſolvi patiatur.

§. X.

Terræ, Rhabarbari *dictæ*, *ex Cortice ſeparatio*.

Tentare lubuit, an & in hoc Cortice *Terra*, *Rhabarbari* dicta, a Cl. olim SCHEELIO in variis ve-

getabilibus detecta primum & accurate dijudicata (*d*) reperiretur. Ex binis methodis, quas hunc in finem commendat Cl. SCHEELIUS, prior, quæ fit per repetitas cum aqua calida infuſiones, ob inſignem ſubſtantiæ corticis duritiem & tenacitatem ſcopo parum idonea videbatur: unde poſteriorem elegi, per quam etiam, ſi parum tantum hujus terræ ineſt, hæc longe facilius & certius detegitur.

Corticis itaque noſtri unc. 8, in pulverem redactæ, cum Acido muriatico diluto per 24. horas ſub leni calore digeſtæ ſunt. Quo facto liquor colatus, & cortex aqua pura rite ablutus eſt, donec hæc inſipida rediret. Liquor a cortice parum tantum coloratus erat. Ipſe cortex lætius rubere viſus fuit. Inſtillavi in hoc liquidum, cui aqua ablutionis adjecta erat, aliquid alkali volatilis cauſtici, unde orta eſt nubecula alba. Inſtillando continuavi, donec nulla amplius fieret præcipitatio. Excidit ſic ſoluta omnis per acidum terra. Liquor per chartam colatus eſt; & terra in filtro relicta multa aqua tepida abluta. Poſt ſiccationem pondus habuit drachm. 1 gran. 22: ex ſingulis itaque unciis circiter grana 10 obtinuimus.

Hæc *Terra* colorem album habuit. Cum Acido nitroſo puro non efferbuit, nec in eo ſolvi potuit. Su-

(*d*) Vid. *Der Königl. Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Neue Abhandlungen* Vol. V pag. 182 & ſeqq., & Vol. VI pag. 168 & ſeq.; quorſum ablego, ſiquis plura de hac terra ſcire deſideret.

Super ferro candente flagravit flamma coerulea, viridescente; & quod a conflagratione reſiduum erat, jam valide cum Acido nitroſo efferbuit, pleneque in eo ſolutum eſt. Dotes igitur varias *Terræ Rhabarbari* exhibuit.

Ut vero ejus natura apertius conſpiceretur, *Terræ* hujus dr. 1 cum liquore alkalino aërato puriſſimo decocta eſt. Poſt coctionem debitam colatus liquor, & pulvis rite ablutus eſt. Huic nunc additum Acidum nitroſum ſub effervescentia magnam ejus partem ſolvit. Deſuſo liquore, ſuperſtiti pulveri, probe abluto, denuo additus eſt liquor alkalinus, & poſt coctionem reſiduum eodem modo cum Acido nitroſo iterum tractatum. Sic, poſt quartam coctionem cum alkalino lixivio, Acidum nitroſum terram reſiduam ex toto fere ſolvit, relicto tantum pulviſculo griſeo, perexiguo.

Partem hujus liquoris alkalini, cum *Terra* decocti, ſaturavi Acido nitroſo. Poſt ſaturationem aquam calcis affudi; unde orta eſt lacteſcentia, pulviſque albus ad fundum ſenſim depoſitus. Hic pulvis ablutus & ſiccatus cum Acido nitroſo non efferbuit, nec in eo ſolutus eſt. Super ferro candente cum ſcintillatione comburebatur, jamque cum Acido nitroſo effervescebat, plenamque patiebatur ſolutionem. Vera ergo *Terra Rhabarbari* regenerata erat; ex terreſtri aquæ calcis parte, & Acido peculiari, quod lixivii alkalini ope e præcipitata ex acido muriatico terra fuerat extractum, nata.

Reliqua pars lixivii, cum *Terra Rhabarbari* de-

 co-

cocti, leni evaporationi expoſita eſt. Sic obtinui laminas cryſtallinas, quarum nonnullas ſatis magnas, quadrangulares, oblongas. His in aqua pura ſolutis tantum Acidi nitroſi addidi, donec manifeſto acidus liquor eſſet; eo maxime fine, ut ſal medius, cum exceſſu Acidi vegetabilis ſic generandus, naturam Acidi, in *Terra Rhabarbarina* obvii, pleniſſime evinceret. Neque exſpectationem fefellit eventus; ſiquidem per evaporationem exhibuit ſalem, & figura cryſtallorum & ſapore acido *ſali Acetoſellæ* prorſus ſimilem. Super ferro candente hic ſal primo bullabat, & aquam amittebat, dein flammam etiam concipiebat, relicta exigua parte ſalis fixi, qui ex acri urinoſo ſapore mox alkalinam indolem oſtendebat, & cum acidis fortiter efferveſcebat.

Vera itaque *Terra Rhabarbari* noſtro cortici ineſt, i. e. *Selenites, ex terra calcarea & acido Oxalino* conſtans.

§. X I.

Cineris examen.

Carbo, a *Deſtillatione ſicca* (§. 3) relictus, ſuper patina terrea, immiſſa ſcintillula, accenſus eſt. Ignem retinuit, ſenſimque per totam maſſam gliscentem concepit; & ita in cineres albentes, griſeos dilapſus eſt. Ulterius calcinatus eſt hic cinis in crucibulo candente. Initio in grumos abiit, ſed minuendo ignem per aliquod tempus jam melius ignem tulit, abſque ut in grumos concreſceret. Habuimus poſt calcinationem cineris griſei dr. 6 gran. 43, cui intermixtæ

erant

erant particulæ nonnullæ coloris æruginoſi. Ad magnetem moleculas martiales, paucas tamen, oſtendit.

Facta eſt hujus cineris cum ſ. q. aquæ elixiviatio. Lixivium ſaporem habuit alkalinum. Opus autem fuit multa aqua, ut omnis ſalſedo protinus elueretur. Cumque ſub ſtatu lixivium in ſuperficie pelliculam contraheret, dubitare coepi, anne multum cineris in calcem vivam converſum eſſet. Inſtituto itaque experimento comperi, lixivium hoc ab alkali aërato turbari, calcemque dimittere; & aërem ex pulmone exſpiratum idem præſtare; quod manifeſto docebat, lixivium pro magna parte ex aqua Calcis conſtare. Aquam addidi tamdiu, donec Calcem non amplius aſſumeret, quod non niſi poſt undecimam elixiviationem cum aqua fervente, eaſque ſingulas per plures horas continuatas, contigit. Omnes hos liquores commixtos ſenſim evaporari ſivimus. Sub evaporatione Calx e lixivio ſeparata eſt, & fundum petiit. Filtratione per chartam hæc ablata eſt, & ſeorſim ſervata. Obtinuimus dein per evaporationem primo *ſalem cryſtallinum* pondere gran. 7; qui perfecte ſal medius erat, conſtans partim miculis ſalinis, quarum forma vix cognoſci per exilitatem potuit; partim ſpiculis pyramidalibus longioribus. Hic ſal ſuper pruna decrepitabat. Difficulter in ore ſolvebatur. Saporis erat amaro-ſalini. In aqua calida ſolutus ex ſolutione Mercurii in acido nitroſo Turpethum minerale, colore tamen ſolito dilutiore, præcipitabat. His notis collectis concludendum videtur,

hunc

hunc ſalem eſſe *Tartarum vitriolatum*, cum intermixto *Sale febrifugo*. Liquor ſuperſtes, ad ulteriorem cryſtalliſationem ineptus, ad plenam ſiccitatem inſpiſſatus eſt. Pondus hujus ſalis fuit gran. 43. Sapore alkalinam indolem oſtendit. Partem hujus ſalis ſaturavi Acido nitroſo, quod cum effervefcentia factum eſt. Per evaporationem ſic exhibuit, *Nitrum* ordinarium hexaëdrum. Verum itaque *Alkali fixum* vegetabile hic ſal conſtituit.

Calcis cremor ſub evaporatione e lixivio excuſſus ponderavit gran. 48. Veram Calcem eſſe, oſtendit ſolutio in Acido vitriolico & nitroſo. Cum priore dedit ſelenitidem vitriolicum: cum poſteriore ſyrupi conſiſtentiam acquiſivit, abſque ut cryſtalli naſcerentur; niſi poſt ſtatum aliquot dierum, tunc enim aciculæ ad vaſis latera conſpectæ ſunt.

Cinis plene elixiviatus ponderavit dr. 6 gr. 17.

Habuimus itaque, ſi & ſalia, & calcem, & cinerem relictum indiſſolubilem computemus, incrementum ponderis dr. 1 gran. 12; quod derivandum eſt partim ab abſorpto Acido aëreo, partim ab attracto humido, per ſimplicem ſiccationem non plene abigendo.

In cinerem deinde etiam redactæ ſunt unc. 16 Corticis, ad *Deſtillationem humidam* adhibiti, & poſtea iterum decocti, poſtquam rite ſiccatus eſſet. Immiſſus eſt hic cortex crucibulo candenti, & aperto igne facta combuſtio. Sub hac emiſit flammam rutilam, denſam; qualem emittere ſolent corpora oleo-

oleoſa & reſinoſa. Flamma diu continuavit, nec in cinerem dilapſa ſunt fruſtula, niſi poſt ignem fortem, per quinque horas continuatum. Cineres pondere æquabant dr. 5. Color erat fuſco griſeus. Sapor leviter ſalinus.

Facta eſt hujus cineris elixiviatio. Lixivium ſaporem habuit alkalinum. Exploratum ulterius maxima ex parte aqua Calcis erat. Octo elixiviationibus opus fuit, antequam Calcem non amplius aſſumeret aqua. Sub evaporatione Calx itidem fundum petiit. Ex toto fere liquor evaporatus fuit, antequam ſalinæ miculæ apparerent. Frigori & quieti tunc expoſitus dedit cryſtallulos cubicas, inter quas nonnullæ conſpiciebantur, quæ formam habebant acicularum pyramidalium. Super pruna cum decrepitatione diſſiliebant. Sapore erant ſalino. In aqua calida ſolutæ Mercurium ex Acido nitri præcipitabant colore ſordide albente. Concludimus itaque, *ſal febrifugum* has cryſtallos conſtituere, cum admixta particula *tartari vitriolati*. Pauxillum liquidi ſuperſtes ſapore erat urinoſo, alkalino, & ſyrupo Violarum viridem faciebat colorem.

Calx, ex lixivio ſub evaporatione præcipitata, pondus habuit dr. 1 gran. 9. Cinis plene elixiviatus dr. 4 gran. 34. Iterum ergo incrementum ponderis habuimus, productis in ſummam computatis. Hoc ab attracto humido & acido aëreo pendere, per cineris hujus, ab elixiviatione relicti, novam calcinationem patuit: poſt hanc enim pondus erat tantum dr. 3 gran. 32. Poſt refrigerium ab aqua

affuſa calor oriebatur, & aqua denuo aquæ Calcis indolem habebat.

Denique incineratio facta eſt unc. 8 cort. *Geoff.*, quæ, ad obtinendam *terram Rhabarbari*, cum Acido muriatico digeſtæ erant. Immiſſus itaque eſt pulvis rite ſiccatus vaſi leniter calefacto, & relictus, donec fumos emitteret: dein admota flamma accenſus. Ita redactus eſt in pulverem nigricantem; qui in crucibulo candente per duas horas exuſtus colorem rubrum, fuſcum, habuit. Pondus hujus cineris fuit gran. 36. Primum lixivium Calcem etiam ſolutam tenuit, ſecundum tertiumque ea vacuum fuit. Sub evaporatione Calx præcipitata eſt. Omni ferme liquido abacto, particulas aliquas ſalinas dedit; ſed tam exiguas & paucas, ut examinari non potuerint. Guttula ſuperſtes ſyrupi violarum colorem non mutavit.

Calx ex lixivio ſeparata non ultra gran. 6 ponderavit. Cinis elixiviatus gran. 36.

§. XII.

Terræ, poſt cineris elixiviationem relictæ, examen.

Terræ, in cineris elixiviatione indiſſolubilis, portiones immiſſæ ſunt in Acidum vitriolicum, nitroſum, & acetoſum. Cum binis prioribus orta eſt magna efferveſcentia; in Acido aceti parva tantum, & vix conſpicua. Solutio in Acido Vitriolico parum ſelenitidis flavicantis ſolutum continuit, maxima parte

ſe-

ſelenitidis in colo relicta. In Acido nitroſo maxima pars ſoluta eſt, remanente ſuper filtro pulvere griſeo. Solutio ferrum continebat, nam cum inſuſo Gallarum niger exſurgebat color. Evaporata eſt hæc ſolutio ad conſiſtentiam ſyrupi, abſque ut ullæ cryſtalli enaſcerentur. Sapor erat acris, amarus. Solutio in Acido aceti ſpeciem cryſtallorum exhibuit, ſalem amianthinum, ſaporis acriuſculi, amari.

Omnia hæc ſatis oſtendunt, ſolutam fuiſſe *terram calcaream*, & aliquid *ferri*. Ut autem determinare liceret, quantum ſolubile eſſet, terræ hujus dr. 1 in Acido nitroſo ſoluta eſt. Superfuerunt poſt ablutionem gran. 4 tantum pulveris griſei, fuſceſcentis, qui ad magnetem plurimum ferri monſtravit, ita ut vix ulla molecula eſſet, quæ non attraheretur. Affuſum tamen huic pulviſculo denuo Acidum nitroſum nihil ferri amplius ſolvit.

§. XIII.

Corollaria.

Concludimus ex his experimentis:

1° Ineſſe cortici *Geoffrææ Surinamenſis* particulam, calore ebullientis aquæ volatilem, quam & in phlegmate ſiccæ Deſtillationis (§. 3), & in humida Deſtillatione (§. 4) habuimus. Parum tamen hujus principii in ſiccato cortice hærere, ex debili odore concludere licet. A recenti ſtirpe fortem ſatis, eumque ingratum, ſpargi halitum, per obſervationes conſtat.

 2° *Ex-*

2° *Extracti aquoſi* noſtro cortici ineſſe ſatis inſignem quantitatem; hoc autem diuturna & repetita coctione indigere, ut extrahatur (§. 5 & 7). Hinc etiam in parando Decocto omnino neceſſe eſt, ut coctio præcipiatur per duas ad minimum horas continuanda.

3° *Extracto* quoque *Spirituoſo*, ſive *Reſina*, ſatis divitem eſſe hunc corticem; ad cujus extractionem ſingulæ corticis unciæ uncias 11 ſpir. vini requirunt (§. 6); quæque ſpiritum admodum tingit; ut ex profundo Tincturæ colore longe majorem copiam ineſſe, conjiceres. Multum tamen hujus *Reſinæ* per aquam & calorem decomponitur (§. 8 & 9); unde in Decocto & Extracto parando præſtat lenem coctionem & evaporationem adhibere.

Et hæc quidem potiora ſunt, quæ medico ſcopo ex chemico examine deduci poſſunt. Nonnulla chemico notanda addam.

4° Itaque notandum videtur, duplex *Acidum* ex cortice noſtro obtineri, vel rectius forte duplicem Acidi vegetabilis modificationem. Alterum illud, quod in lignorum & corticum plerorumque ſicca deſtillatione funditur, *Acidum lignorum dictum* (§. 3). Alterum *Acidum acetoſellæ*, cum terra calcarea *terram Rhabarbari*, vel potius *ſelenitidem acetoſellatum*, ſive *oxalinum*, conſtituens (§. 10).

5° *Oleum* quoque *empyreumaticum* per ſiccam deſtillationem ex hoc cortice, uti ex reliquis vegetabilibus, obtinetur; ſed alterum oleum aquæ innatans longe parcius, quam ceteroquin habetur, cu-

jus

jus quippe paucæ tantum guttulæ obſervatæ ſunt (§. 3).

6° Reſiduum fixum a Deſtillatione ſimilia ſalia exhibet cum aliis vegetabilibus, *ſalem* nempe *medium* duplicem & *alkalinum*; ſed copia multo minore, quam alia ſolent.

7° Si lixivia cinerum ex carbone, a Deſtillatione ſicca relicto, & ex cortice bis decocto, paratorum ſecum comparentur, apparet in priori ſalem medium ex toto fere *tartarum vitriolatum* fuiſſe, & maximam lixivii partem *alkali fixum vegetabile* conſtituiſſe; dum in poſteriori vix tartarus vitriolatus inventus fuit, & parum tantum ſalis alkalini, ſed vix alius ſal, præter *ſalem febrifugum* (§ 11). Per Coctionem itaque (quod ſatis mirum videtur) oportet, ut tartarus vitriolatus & alkali extrahatur, relicto ſale febrifugo.

8° Denique ex analyſi chemica liquet, inſignem *terræ calcareæ* copiam cum particula *ferri* baſin hujus corticis conſtituere: ita, ut non tantum terra, ab elixiviatione ſuperſtes, maximam partem calcarea ſit, ſed & pars ſub incineratione in calcem vivam convertatur, & aquam ſic ſubeat (§. 11 & 12.). Hujus autem terræ magna portio, Acido acetoſellæ juncta, ſelenitidem, *terram Rhabarbari*, dictum facit (§. 10). Hinc derivandum eſt, quod cortex cum Acido muriatico digeſtus cinerem longe minore proportione dederit, quam reliquus cortex ad incinerationem adhibitus.

CAPUT TERTIUM.

De viribus medicatis Corticis Geoffrææ Surinamenſis, *& de modo eum exhibendi. Præmittuntur variorum Medicorum Obſervationes, quæ de his dicenda erunt, confirmantes.*

Cum non ita diu ſit, quod remedii hujus cognitio ad medicos pervenerit, eaque non ſatis univerſalis fuerit, facile perſpiciet B. L. plenam virium notitiam adhuc deſiderari, ad quam quippe ulterior experientia requiritur. Quapropter eas tantum virtutes enarrabo, quæ ex tentaminibus, hactenus inſtitutis, colligi tuto videntur poſſe. Qua in re tamen breviter verſabor, quia inter Obſervationes variæ occurrent Medicorum, quibus hæ debentur, de viribus animadverſiones.

Hunc ordinem in virium expoſitione ſequar, ut præmittam primum Obſervationes eo ordine, quo has mecum communicavit Cl. Voltelen. Sic deinde rectius ad vires concludi poſſe, & concluſionis æquitatem Lectori magis conſpicuam fore, putavi.

§. I.

Cl. Volteleن *judicium de viribus noſtri Corticis; Ejusque Obſervationes practicæ.*

„ A quo tempore Corticis *Geoffrææ* notitia, ejusque in vermibus expellendis fama, ab Americanis, Surinamiæ indigenis, non alio, quam experientia, magiſtro edoctis, ad nos pervenit; nullam experiundi occaſionem, quam luculenta praxis clinica offerebat quotidie frequentiſſimam, prætermiſi, qua propriis obſervationibus hujus remedii virtutes cognoſcerem: utque tum meis, cum aliorum Medicorum, quibus explorandum daretur, teſtimoniis firmatum in publica commoda evulgari tandem aliquando poſſet. Sic nata eſt ingens experimentorum & obſervationum copia. Quibus rite dijudicatis, hoc mihi perſuaſiſſimum eſſe, palam profiteor, eam eſſe hujus remedii in medendo vim atque præſtantiam, ut veniam facile me impetraturum confidam, qui in tanta medicamentorum, qua hodie laboramus, copia novum rurſus prædicare ſuſtineam, idemque civitate pharmaceutica donari, quam maxime cupiam."

„ Eſt enim ſumma hujus Corticis in necandis exturbandisque vermibus efficacia, adeo ut par ipſi remedium vix aliud, ſuperius certe nullum, habendum ſit. Quo ſolo effectu, maxime conſpicuo, celebritatis laudem apud Surinamenſes nactus eſt conſtantiſſimam. Nec tamen, ut hi, ad lunæ phaſes in ejus exhibitione attendere utile vidi, aut neceſſarium; ſiqui-

quidem non novilunio tantum & plenilunio, ſed alio quovis tempore exhibitum voto ſatisfecit, dummodo de vermium præſentia ſatis certo conſtitiſſet."

„ Sub uſu autem hujus remedii mirum, quanta ſimul tenacis pituitæ copia ſurſum deorſumque moveri expellique ſoleat. Quo accidit ſubinde, ut præter opinionem morbus, a vermibus oriri creditus, ſine ulla horum excretione feliciſſime fuerit ſublatus."

„ Accedit hiſce ſingularis, quem in vias urinarias exercet, ſtimulus; copioſum lotii fluxum impetuoſe quandoque ciens, moleſtiſſimumque veſicæ teneſmum & ſtranguriam interdum excitans."

„ Alvum præterea modeſte ſollicitat plerumque. Nonnunquam emeſin quoque movet."

„ Quæ quidem omnia quum aliquoties de uſu hujus remedii latius extendendo monere viderentur, tandem in chronicis affectibus variis, non verminoſis, idem tentare lubuit. Neque exſpectationem fefellit eventus; ſiquidem feliciſſimis periculorum ſucceſſibus ſæpius jam ſe probavit in morbis a labe gaſtrica, cruda, pituitoſa; colluvie ſeroſa; ſolidorum laxitate; humorumque inertia ortis; quorum frequens quotidie numerus in Patria noſtra occurrit: nominatim in obſtructionibus lentis, febre quartana, leucophlegmatia, anaſarca, chloroſi, nephritide pituitoſa, aſthmate humido, tuſſi mucoſa. Nec dubium, quin in aliis hujus generis morbis proficuum, ſub debita adminiſtratione, auxilium ſit præſtiturum."

„ Illud tamen prætermitti non debet, actionem hujus remedii non ſemper adeo tranquille abſolvi, ut

non

non aliquando turbas ſatis magnas inde excitatas viderim. Præter nauſeas enim & vomituritiones, ſubinde anxietates creat ſummas; imprimis ſi aut liberalius ingeſtum fuerit, aut alvum forte offenderit ſtrictam, neque ſub ejus operatione motam. Ne dicam de veſicæ tenesmo, quem in ſenſilioribus producere nonnunquam ſolet. Viſi autem ſunt magis in univerſum pati homines adulti, quam pueri. Tum quoque ſub altera remedii exhibitione ſæpius, quam prima. Neque tamen mali quicquam ab hoc medicamento productum vidi unquam. Nec multum difficile, memoratis confeſtim occurrere incommodis, ſive doſin moderando; ſeu medicamento aliquo carminante, aromatico, antiſpasmodico, imprimis Mentha, Cinnamomo, Liquore Anodyno Hoffm., ſimilive adjecto; aut apto ſimul purgantis remedii, Rhei v. c. Barbarici, connubio; aut denique lenjente quodam vel mucilagineo potu, Emulſo Amygdalino, Gummi Arabico, Syrupo Althææ &c."

„ Et hæc quidem ſingula obſervationibus & exemplis numeroſiſſimis confirmare uti facile poſſem, ita vereor, ne horum copia, præter neceſſitatem aucta, & communis fere argumenti repetita toties narratio tædium pariant. Ex multis itaque ſeligam pauca tantum, quibus *Corticis Geoffrææ* virtus & actio plenius pateſcant."

Obs. I. „ Vir 30 annorum fortis, toroſus, per triennium & ultra ſævis ventris torminibus, per intervalla ingruentibus, miſere affligebatur, maxime je-

junus, quæ alvi aliquot egeſtionibus mucoſis tandem ſolvebantur: reliquis functionibus illibatis."

„ Nauſea matutina; ingratus inanitionis & reptatus in abdomine ſenſus, poſt prandium ſublatus; narium titillatio, & frequens, ſine alia cauſa manifeſta, hæmorrhagia; pupillarum ingens dilatatio; vermium quidem ſuſpicionem movebant ſummam. Quum vero jam olim celebratiſſima quæque anthelmintica, diu multumque a variis Medicis eſſent adhibita, quin ulli unquam vermes eſſent excreti; viſum fuit emeticis catharticisque canalem cibarium debite expurgare. Sed neque his, neque incidentibus, amaris, roborantibus, antispasmodicis, poſtea in auxilium vocatis, ullum doloris lenimen allatum eſt. Tandem itaque, iisdem vermium ſignis continuo perſtantibus, *Geoffrææ Corticem* experiri placuit. Hujus ergo unc. 2, in aquæ lib. 2 ad dimidium decoctas, propinavi, ſic, ut per triduum omni mane Decocti pars tertia hauriretur. Primo die effectus vix ſenſibilis, præter alvi mucoſæ evacuationem auctam. Altero continua vomituritio & anxietas. Tertio die nauſea perpetua, donec tres lumbrici majores excernerentur vivi. Longe tolerabilior abhinc dolor, nec adeo conſtans fuit. Duabus itaque hebdomadibus poſtidem denuo remedium præſcripſi. Quod plurimum moleſtiæ creavit, neque alvum ſolvit, nec vermes exturbavit. Hinc quarto die Jalappæ pulvis cum Mercurio dulci exhibitus multum pituitæ, binosque iterum lumbricos mortuos dejecit. Poſtea per ſemeſtre ſpatium ab omni moleſtia vacuus fuit.

Ne-

Neque epiſtaxi amplius laboravit. Tum vero priſtini mali ſigna denuo expertus ad idem remedium aſſumendum induci tamen non potuit. Donec, aucta dolorum vi, ipſe tandem ejus exhibitionem peteret. Præſcripſi nunc ſequenti modo:

℞. Cort. Geoffr. unc. II
Aq. pluv. libr. II
Coq. ad dimidium. Tum infunde per ½ hor. vaſe clauſo
Rad. Rhei el. dr. II
Colat. adde
Liq. Anod. Hoffm. dr. I & ſem.
M. D.

Sic longe melius medicamentum tulit; ſoluta aliquoties alvo, iterumque duobus lumbricis majoribus cum minoribus aliquot excretis. Ab hoc autem tempore illæſa ſanitate jam per tres fere annos ipſi frui contigit."

Obs. II. „ Nobilis Juvenis a. 19, mollioris habitus, facie pallida, cum verminoſis ſymptomatibus multum vexaretur, ſumſit *Corticis Geoffreæ Decoctum* meracum; nec quicquam moleſtiæ inde expertus fuit; mota frequenter alvo, ſimulque magno verme terete excuſſo. Poſt aliquod tempus, Decocto faſtidito, exhibiti fuere duo pulveres, ſinguli gran. 15 *Extracti Cort. Geoffr.* totidemque Sacchari continentes. Prior jejune ex aqua captus nullum edidit

effectum. Alter altero mane datus alvum quater dejecit, binosque lumbricos, bene paſtos, una expulit. Tertio die *Extracti* gr. 20 fuere propinata. Unde levis modo nauſea; at copioſa tenacis pituitæ per alvum egeſtio, interjectis filamentis & membranulis quaſi mucoſis; unoque inſuper lumbrico extincto."

Obs. III. „ Adoleſcens 15 a., phlegmaticus, quum indubitata vermium indicia dediſſet, nonnullaque anthelmintica incaſſum jam tentaſſet, *Extractum* quoque *Geoffr.* in Aq. Still. Menthæ ſolutum, hauſtus forma, cepit. Ejus gr. 15 ter exhibita nauſeam & vomendi conatum excitarunt, immota alvo. Quarto die purgans remedium ex Scammoneo datum dejectiones aliquot mucoſas, nullos vero vermes exhibuit. Sexto demum die & ſequentibus lumbrici novem emiſſi ſunt mortui. Octiduo poſt, repetitum medicamentum ea ratione, ut primum *Extracti* gr. 18, dein 20, tandem 24, per tres dies ſubſequentes fuerint propinata, alvum fluxilem reddidit, inſignemque muci copiam, treſque iterum lumbricos exturbavit, ſine ullo notabili incommodo."

Obs. IV. „ Puellula 12 a. quum a nativitate fere vermibus multum vexata eſſet, adeo ut quatuor vix menſes agens, ſoloque materno lacte nutrita, teretem jam vermem alvo emiſiſſet, plurimis anthelminticis identidem uſa fuerat; quibus initio quidem lumbrici & aſcarides ſæpius expellebantur; poſtea

ta-

tamen, quaſi aſſuefacti, omnem eorum vim ſpernentes: ſymptomatibus nihilominus verminoſis continuo perſiſtentibus; corpore in dies emaciato; ventre tumido. Imprimis vero plurimum moleſtiæ faceſſebat continuus lotii emittendi ſtimulus, ab aliquo tempore, poſt prandium maxime, ortus, cum cita & impetuoſa urinæ evacuatione, non continenda. Quod quidem ab aſcaridibus, in recto inteſtino nidulantibus, excitatum ſuſpicabar."

„ Cumque domeſtica quædam, aliaque uſitatiora anthelmintica jamjam eſſent incaſſum tentata; præſcripſi Decoctum *Cort. Geoffr.* ex dr. 6 in ſ. q. aq. ad Colat. unc. 6 paratum, addita Syr. Cort. Aurant. unc. 1, in tres partes diviſum, tridui ſpatio capiendum. Prior utraque doſis ſcybala multa dura ano expulit. Tertia alvum copioſe laxavit, magnamque ſimul muci quantitatem, & aſcarides aliquot, ejecit. Nulla vero aut nauſea, aliudve incommodum a remedio productum fuit. Quarto die clyſma injiciendum ſuaſi, ex *Cort. Geoffr.* unc. 1 in aq. ſufficienter cocta ad colat. unc. 6, adjecta Mellis uncia. Sic integer aſcaridum quaſi glomus ſeceſſit."

„ Poſt hæc longe alacrior ægrotula fuit, necdum a moleſto mingendi niſu prorſus libera; etſi rarius invadente."

„ Aliquot dierum intervallo idem medicamentum denuo propinavi. Hujus autem tertia pars, mane hora ſeptima ſumta, bihorio poſt nauſeam & vomitum perpetuo concitavit, expulſo quicquid potabat,

cum incredibili muci tenacis copia, ad horam quintam usque pomeridianam; qua alvus ter mota, duriuſcula, pituitoſa, aſcarides ſimul plurimos exhibuit."

„ Extra urbem vero commorata, ſicque auxilio, levandis remedii effectibus neceſſario, deſtituta, quod reliquum erat potiunculæ facile neglexit. Siluit interim veſicæ teneſmus. Datumque poſtea medicamentum roborans, amarum, martiale, leni Aloës ſtimulo armatum, ſanitatem plene reſtituit firmavitque, ut nunc per multum tempus nullum incommodum fuerit experta."

Obs. V. „ Tredecim annorum adoleſcentulus, habitu cachectico, chronica dextri primum, deinde & ſiniſtri, oculi inflammatione laborabat. Quæ ſolitis remediis maxime efficacibus diu multumque ſollicitata pertinaciter reſiſtebat. Ex prava itaque humorum intemperie quum cauſa mali repetenda videretur, depurantia & corrigentia varii generis medicamenta ſtrenue adhibebantur, non neglectis Stibiatis atque Mercurialibus. Sed neque his, nec Veſicatoriis, nuchæ temporibusque admotis, nec Cortice Thymelææ, ad brachium utrumque applicato, ulla emendatio facta eſt. Nata forte vermium ſuſpicio *Geoffrææ* vim experiundam ſuaſit: quamquam fortioribus catharticis, ſæpius adminiſtratis, ſi qui adfuiſſent, vermes expelli facile potuiſſent. Datum itaque ejus Decoctum, ſyr. fol. Sennæ remixtum, per triduum. Et ecce! alvo aliquoties reſerata, mag-

magnoque & lumbricorum & aſcaridum, pituita denſiſſime obvolutorum numero exturbato, mox ophthalmia quaſi per miraculum ſublata."

Obs. VI. „Matrona quædam a. 40 a multo tempore variis ſymptomatibus ex mucoſa colluvie, & laxato viſcerum abdominalium tono oriundis, continuo affligebatur, appetitus & digeſtionis vitiis, nauſea, alvi tarditate, ventre tumido, leucophlegmatia, fluore albo, cordis palpitatione, cet.; quibus ani pruritus intolerabilis, ab aſcaridibus excitatus, ſeſe junxerat."

„Viſum fuit *Cort. Geoffrææ* hic explorare. Exhibita ſunt *Extracti* gr. 12. Unde nauſea primum & vomitus ſaburræ pituitoſæ, tenaciſſimæ, faucibus vix excutiendæ, magnasque ſic anxietates producentis; deinde ingens lotii, initio turbidi, mox limpidioris, fluxus, cum dyſuria & dolentiſſimo veſicæ teneſmo inſequentibus, orta. Quibus tamen moleſtiis Emulſo amygdalino, in quo Mannæ aliqua copia ſoluta erat, adjectumque Liquoris anod. Hoffm. tantillum, facile occurrebatur. Alvus namque clauſa manſerat. Altero die, poſt mucoſas aliquot dejectiones, multi aſcarides expulſi ſunt. Detumuit venter. Os non amplius mucoſum. Nulla cephalalgia, quæ per plures hebdomades ægram afflixerat. Sed ulteriorem remedii uſum, etſi minori doſi propoſitum, prorſus renuit."

Obs. VII. „Vir vitæ ſedentariæ deditus, annum

num agens 46, tuſſi mucida chronica, cum inappetentia, alvi ſegnitie, membrorum laſſitudine, interdum febricula, dudum correptus diverſa jam remedia ſine fructu tentaverat. Emetica quidem, de tempore in tempus exhibita, effectum reliquis conſtantiorem præſtiterant; curam tamen abſolvere non potuerant. Neque per epicraſin data voto reſponderant. Itaque *Cort. Geoffrææ* præſcripſi ſequenti modo:

℞. Extr. Cort. Geoffr. dr. I
Succi Liquir. inſp. dr. III
Ol. Still. fœnic. gutt. VIII
M. F. Pil. gr. III, quarum ter de die tres capiendæ.

Hoc remedium aliquamdiu continuatum, præter levem initio nauſeam, nihil incommodi peperit: quin expectorationem potius multo expeditiorem reddidit, alvum laxam ſervavit, lotiumque, multo ſedimento mucoſo gravidum, movit, tandemque tuſſim penitus fugavit. Interpoſitum poſtea, ſubjunctumque, pilularum uſui vinum medicatum, ex Rad. Helen., Angel., Myrrha & Sem. fœnic. dulc., cum vino Hiſpanico paratum, debitum partibus robur cum ſanitate reddidit."

Obs. VIII. „Adoleſcens annorum 16 prava ex farinaceis & pinguibus diæta, motusque defectu, ſpiritum difficile trahere cœpit, de pondere epigaſtrii,

ſtrii, anorexia, flatibus, alvi tarditate, queſtus; tandemque aſthma, initio ſiccum, mox ſputis mucoſis ſolutum, contraxit."

„ Præmiſſo leni Emetico, *Decoctum Cort. Geoffr.*, Aqua Menthæ piper. dilutum, addita ſubinde Manna, ſic propinavi, ut omni bihorio vel trihorio cochlear aſſumeret. Uſu hujus medicamenti per aliquot dies protracto, reſpiratio multum emendata eſt, alvusque fluxilis reddita, multa ſecedente quotidie pituita. Cum vero potionem nauſearet, exhibui *Tincturam Cort. Geoffr.* ad gtt. 60 ter de die, ſenſim adſcendendo. Quo tandem malo ſuo, ſub debito regimine, prorſus liberabatur. Sæpius deinde imminentia aſthmatis ſui ſymptomata ſola hac Tinctura feliciter prævertit."

„ Eximiam hujus *Tincturæ* efficaciam in frigidis & pituitoſis vitiis vidi frequentiſſime: ſoleo autem in hiſce Tincturam Rad. Galangæ ipſi fructuoſe adjungere. Nec minus in febribus intermittentibus autumnalibus digerendi reſolvendique fine. Tandemque in chloroſi."

Obs. IX. „ Puerulus ſexennis, teneri quidem habitus, at proſperæ hactenus ſanitatis, palleſcere ſenſim atque emaciari cœpit, etſi voraciſſimus. Mox moroſus, triſtis, tranquillus, nec movere corpus, nec ludere, ultro cupiit. Tandem intumuit venter, duritiemque inſignem monſtravit: tumidæ quoque parotides & univerſæ cernebantur colli glandulæ:

extremis interim extenuatis, & quaſi emarcidis: reſpiratione anheloſa: appetitu nunc maximo, alias plane proſtrato: ore mucoſo: alvo plerumque fluxili: lotio tenui, crudo, aut lacteſcente."

„ Quæ quidem omnia molli primum educatione, &, quæ hujus comes eſſe ſolet, prava diæta, ſive nata ſive aucta, perverſa deinde medendi ratione, uti ſæpius, ſolis Roborantibus, Adſtringentibus, circumſcripta, etiam deteriora facta erant."

„ Remedia aperientia, leviter ſtimulantia, alvum blande laxantia, antacida, antiverminoſa, externis frictionibus juncta, forte profuiſſent, ſi diu ſatis ſufficienterque adhiberi potuiſſent."

„ Renitente autem ægrotulo, remedium parva mole efficax erat concinnandum. Itaque *Extracti Cort. Geoffr.* gr. 3 ſaccharo mixta, ſemel bisve de die ex vino Hispanico propinavi. Hoc medicamentum & facile ſumſit & bene tulit. Siquidem alvus multum mucoſa initio frequenter movebatur, lumbrici etiam nonnulli integri, plures vero horum reliquiæ ramentis mucoſis involutæ, excernebantur quotidie. Quin uſu protracto (ſubſtituta tamen poſtea, in locum *Extracti*, utpote faſtiditi, *Geoffrææ Reſina*, ad gr. 8 biſariam diviſa, quotidie data) detumuit venter, reliquaque ſymptomata tantopere fuere emendata, ut inſtauratis tandem per Martis imprimis Tincturam, aceto confectam, fractis morbo diuturno viribus, integra ſanitas fortunate ſucceſſerit."

Obs. X. „ Virgo nobilis, a. 27, ex febre epi-

epidemica bilioſo-pituitoſa, male curata, incidit in febrim ſeu quotidianam, ſive tertianam duplicem, cum omnibus ſignis obſtructi ventris, facie lurida, lingua ſpurca, mucoſa, ore amaro, tumidis duriſque hypochondriis, alvo ſtricta, urina limoſa, tumentibus cruribus pedibusque. Menſes jam aliquoties defecerant. Febris initio regularis tandem vagis incertisque periodis recurrit, vix penitus deferveſcens, & ſub veſperam imprimis ingrato calore ſitique urgens, in ſeram noctem protracta; unde ſomnus inquietus, inſomniis turbatus."

„ Repurgatis ſalina potione, levi Tartari emetici ſtimulo armata, primis viis, *Cort. Geoffraeae* explorare decrevi. Præſcripſi itaque

℞. Extr. Cort. Geoff. dr. I
Aq. Still. Menth. unc. VIII
Syr. 5 Rad. aper. unc. I & ſem.
Spir. Nitr. dulc. dr. III
M. & S. omni trihorio cochlear."

„ Hinc levis nauſea, nec ſatis expedita alvus; urina autem craſſa multum mota. Mannæ itaque portione, mixturæ, ſyrupi loco, ſubinde addita, aut ſalino remedio, hæc ſollicitari debuit."

„ Sic effectum eſt, ut febris, ſenſim ad typum tertianæ ſimplicis redacta primum, tandem penitus ſiluerit, atque univerſi corporis habitus multum emendatus fuerit."

„ Cum tamen appetitus nondum vigeret, lingua

etiamſi pura; nec molle ſatis abdomen eſſet, flatibus ac borborygmis ſæpe tenſum; neque menſium fluxus reſtitutus; præſcriptæ fuere ſequentes Pilulæ, quarum duæ omni bihorio capiendæ:

℞. Extr. C. Geoffr. dr. I
—— Rad. Gent. dr. II. & ſem.
M. Pil. Ruffi dr. ſem.
Ol. St. Menth. gtt. VIII
M. F. Pil. gr. III. "

„ Hiſce aliquamdiu continuatis, diuturnus ille morbus tandem feliciſſime fuit ſuperatus; menſibus cum euphoria fluentibus; viribusque amaro & roborante remedio plene inſtauratis. "

Obs. XI. „ Puella 12 annorum variis digeſtionis vitiis per aliquod tempus laboraverat. Hæc autem ſecuti deinde motus ſpasmodici, violenti, Ægram ex improviſo invadebant, tremoribus, motitationibusque omnigenis, caput membraque quatiebant, altis tandem ſuſpiriis ſoluti. Ad ſe reverſa nihil eorum, quæ acta erant, reminiſcebatur. De laſſitudine & ventris dolore potiſſimum querebatur; futurum paroxysmum ſingulari quodam ſenſu ingrato, dolorifico, momento ante acceſſum in abdomine obvio, præſagiri aſſerens. "

„ Cauſa mali in primarum viarum impuritatibus, vermibusve, quorum varia ſimul ſigna occurrebant, quæſita, Evacuantibus & Anthelminticis oppugnari cœ-

cœpit, ſucceſſu tamen parum fauſto: ſiquidem neque vermes detecti, nec ſpasmi fuerint mitigati."

„ *Corticis* itaque *Geoffrææ* uncia ad colat. unc. 8 decocta per triduum propinata fuit. Prima portio, poſt brevem in ventriculo moram, tota fere reddita fuit. Altera & tertia alvum ſine moleſtia aliquoties ſolvit, multaque mucoſa ejecit. Quarto die datum præterea Rhabarbari Infuſum copioſam pituitam expurgavit."

„ Poſt hæc ſpasmi longe rarius invaſerunt, longeque benignius. Repetendum itaque medicamentum videbatur. A prima nunc doſi, ſecus atque ante, magna anxietas, nauſea, vomitus, alvique ſeceſſus multiplex, ſordibus mucoſis ſurſum deorſumque copioſe expulſis. Reliquæ binæ Decocti portiones, ægrius quidem ſumtæ, parum incommodi excitarunt, dejectionibus aliquot mucoſis adhuc factis, nullis autem vermibus aut nunc, aut ante, obſervatis. Siluerunt tamen poſtea motus ſpaſtici; atque Ægrota, Amari cujusdam ſtomachici beneficio, ſub congruo vitæ regimine, optima in hunc usque diem fruitur ſanitate."

OBS. XII. „ Vir 40 a., corpore quadrato, ſecunda valetudine per omne vitæ tempus uſus, a triennio male habere cœpit, vino forte nimium deditus; de laſſitudine, pondere ventriculi, anorexia, cephalalgia, imprimis queſtus. Acceſſerunt deinde ſpaſticæ membrorum contractiones, in veros in-

inſultus epilepticos tandem terminatæ, noctu potiſſimum invadentes, rarius interdiu."

„Cumque a variis Medicis incaſſum tentata eſſent omnis generis remedia, imprimis anthelmintica; neque mali cauſſa ſatis eſſet explorata; *Geoffrææ* vim experiri lubuit. Decoctum forte ex unc. 3. ad colat. unc. 12 paratum, ſolito modo exhibitum fuit. Vomituritiones primo die excitavit lenes; alvum vero & hoc & ſequentibus validè movit, denſamque & tenacem pituitam copioſiſſime evacuavit. Abhinc per plures dies paroxyſmi retardati fuerunt. Octiduo poſt repetitum idem medicamentum haud minori ſucceſſu. Expulſa namque per ſuperius inferiusque guttur magna adhuc muci copia, nullos amplius paroxyſmos expertus fuit: vermium autem nullo veſtigio detecto."

§. I I.

Obſervationum, poſt mortem Doctiſſ. A. JULIAANS *in Ejus Adverſariis repertarum, præcipuæ.*

OBS. I. „Puero trienni, tuſſi ferina vexato, quæ præter communia quævis illius morbi ſymptomata, profuſam narium hæmorrhagiam ſingulis tuſſis acceſſionibus ſecum junctam habebat, data fuerunt varia evacuantia, aliaque contra eam laudari paſſim ſolita; ſed incaſſum."

„In animum forte venit tentare, quid hic præſta-

ſtaret *Cortex Geoffrææ* noſter. *Decoctum* itaque propinatum eſt; & ſane optimo cum effectu: poſtquam enim ab aſſumto hoc remedio ingens vermium caterva, nec minor pituitæ tenacis copia, evacuatæ eſſent, a dira hac tuſſi convulſiva plane liberatus fuit puer."

OBS. II. „ Puer octo annorum ſyſtemate nerveo admodum mobili præditus, inſultibus epilepticis, iisque ſatis gravibus, ſæpius, ter plerumque quavis ſeptimana redeuntibus, corripiebatur. Color faciëi, tumor abdominis, pruritus narium, appetitus proſtratus, ceteraque ſymptomata, facile ſuſpicionem movebant, cauſſam verminoſam ſubeſſe. Quæ ut quantocius eliminaretur, propinatum eſt *Decoctum Cort. Geoffrææ* ſolito more. Poſt iteratum remedii uſum mirificam efficaciam ejus videre licuit. Expellebantur enim vermes plurimi, & incredibilis pituitæ tenacis copia; cujus unica vice quantitas, integram pintam excedens, excernebatur. Abdomen exinde detumuit; roſeo colore genæ tingebantur; perfectaque ſanitas ipſi reſtituebatur; omnibus epilepticis inſultibus penitus ſublatis."

„ Liber poſtea ab his manſit; ſi excipias, quod elapſo poſt uſum remedii ſeſquianno a graviori animi perturbatione, mobiliſſimum ſyſtema nervoſum nimis valide afficiente, leviorem paroxysmum paſſus fuerit. Poſtea tamen iterum ſanus vegetusque vixit."

„ Semel adhuc, ne regenerata pituita, & denuo

nuo redeuntes vermes eadem ſymptomata provocarent, exhibitum eſt remedium optimo cum ſucceſſu."

„Notari meretur, plurima remedia anthelmintica & antiepileptica antea incaſſum ab hoc puero fuiſſe aſſumta."

Obs. III. „Puella 9 a. medio menſe Auguſto 1778 incidit in febrim quartanam, qua per triennium quovis autumno corripi ſolebat, quæque per totam hyemem durans vere ſolvebatur. Temperamenti hæc erat frigidi, pituitoſi. Febris paroxyſmi ſatis intenſi erant. Suſpicio oriebatur, febris cauſſam conſiſtere in pituita primas vias obſidente. Nec eventus feſellit; exhibito enim purgante ex Scammoneo, alvus aliquoties depoſita fuit, vomituque excuſſa ſemel bisve tenaciſſima pituita. Nauſea, quæ aderat, emeticum propinandum ſuaſit. Poſt hoc diebus intercalaribus aſſumſit ter de die bina cochlearia *Decocti Cort. Geoffrææ.* Initio commotiones vomitusque ex hoc remedio paſſa eſt (erat autem ſyſtemate nerveo admodum irritabili prædita). Poſt biduum ſatis commode remedium tulit. Mox febris minuebatur, ita ut paroxyſmi per ſoliti temporis dimidium tantum durarent. Ingentem aſcaridum, nec non inſignem tenaciſſimæ pituitæ copiam per anum excrevit. Facies jam læto rubore tingebatur. Appetitus reſtitutus erat. Et initio Septembris febris in tantum imminuta erat, ut paroxyſmos ægrotula vix ſentiret. Roborans Infuſum vinoſum ex Ligno Quasſiæ

ſiæ tunc effecit, ut medio menſe Septembri in ſanitatem perfectam redierit."

„ Nullam recidivam paſſa eſt; ſed inſequenti hyeme, Variolis epidemice graſſantibus, peſſimis confluentibus correpta, diem obiit ſupremum."

Obs. IV. „ Ancilla 34 a. a longo tempore vexabatur vehementi inteſtinorum dolore, præcipue in latere ſiniſtro. Tumebat valde abdomen. Paſſionibus hyſtericis præterea obnoxia erat. Varia aderant vermium ſigna; quorum cauſſa cujusvis generis Anthelmintica remedia ſumſerat; ſed hactenus incasſum. *Cortex* itaque *Geoffrææ*, cujus ſalutarem in alio exemplo viderat effectum, ſibi tandem ut exhiberetur, enixe petiit. Per tres inſequentes dies, quavis vice unc. 4 *Decocti* ejusdem propinatæ ſunt. Primo jam die magnam copiam aſcaridum excrevit; ſed nec hoc, nec binis inſequentibus diebus urinam fere mittere valebat. Quarto die exhibito purgante plurimum adhuc pituitæ ejectum eſt: & poſt aliquot dies longus inſuper lumbricus. Omnia ſymptomata ex hoc tempore ſiluerunt; & poſt elapſos duos cum dimidio annos proſpera adhuc pergebat frui valetudine."

Obs. V. „ Virgo quædam chlorotica, multa a vermibus incommoda dudum perpeſſa, variis tamen ad hoſce fugandos remediis ſine fructu uſa fuerat. Sumſit tandem *Decocti* noſtri *anthelmintici* unc. 4 per tres dies ſucceſſivos. Hinc multa pituitoſa

vomitu, per plures horas continuato, rejecit, non ſine magna anxietate. Deinde alvo quoque valide mota, tredecim lumbricos admodum longos, ſimulque muci inſignem quantitatem excrevit."

„ Obs. VI. „ Puella quatuor annos cum dimidio habens cuncta vermium ſigna offerebat. Exhibitum quovis mane jejunæ unicum cochlear *Decocti* noſtri *Corticis* per quinque ſubſequentes dies, tanto cum ſucceſſu, ut per breve hocce tempus ejecerit 120 lumbricos teretes, quos inter erant, qui ſpithamæ longitudinem æquabant. In unica alvi excretione aliquando ad quindecim usque vermes reperiebantur."

Obs. VII. „ Juvenis 17 a. a decimo ætatis anno epilepticos inſultus patiebatur diverſis temporibus; quorum initium in abdomine, momento ante ingreſſum, ſentiebat. Parentes ejus varios adibant Medicos, quorum plerique cauſſam verminoſam accuſabant, & in eam medelam dirigebant. Hoc continuavit per ſeptem annos, absque ut unquam ullus vermis prodierit; ita ut Medicorum aliqui ſuaderent prorſus a remediis abſtinere."

„ Tandem vero conſilium Viri cujusdam celeberrimi expetitum fuit; qui ipſi præſcribebat quotidie Muſci Corſicani dr. III tribus vicibus aſſumendas. Deinde Pulv. Valer. Sylv. dr. III & Tart. Emet. gr. VI variis vicibus. Repetiit poſtea Muſcum Corſicanum. Tandemque uſus eſt pulvere ex Rad. Filic.

lic. Mar. unc. I, Rad. Jalapp. dr. II & ſem., C.C. Uſt. & Corallin. Mar. aa dr. III; ſed hæc quoque omnia irrita fuere."

„ Præſcriptum ipſi demum eſt *Decoctum Cort. Geoffr.* ſolitæ fortitudinis, cujus per tres dies, ter de die, duo cochlearia, & deinde ter de die vaſculum Theæ, intervallo unius horæ, aſſumeret. Sub uſu hujus Decocti alvus ſolito liberior erat, & valde pituitoſa. In una harum excretionum lumbricus teres longus, vivus, reperiebatur; quod Decoctum eodem modo iterandum ſuadebat; eo cum effectu, ut ſub continua excretione fœcum pituitoſarum altera hebdomade ſex lumbricos teretes vivos emitteret."

„ Inter uſum Decocti binis prioribus ſeptimanis ſemel tantum inſultum epilepticum paſſus eſt. Sæpe etiam aliquantum anxius & nauſeoſus erat poſt ejus uſum, tumque vomebat multum pituitæ tenacis. Per decem dies adhuc Decocto uſus ſub continua excretione alvina pituitoſa, uno quodam die ter inſultum patiebatur, licet ſolito brevius duraret. Quapropter remedia mutabantur, ipſique propinabatur pulvis ex Valer. Sylv., Camphora, & Cinnabari, quo ubi per duas ſeptimanas uſus eſſet, intra illud tempus ſemel tantum inſultu epileptico correptus fuit. Iterabatur pulvis, & per alias binas ſeptimanas exhibebatur; ſed absque fructu; cum ſub ejus uſu ſæpius inſultum expertus fuerit. Datus denique eſt pulvis ex *Extr. Geoffrææ* dr. II & Sacchari albiſſ. unc. I & ſem., cujus circiter dr. I ter de die aſſumſit; ſed absque ulteriori effectu."

§. III.

Triplex obſervatio, cum Doct. Juliaans *communicata a Viro Doct.* M. J. de Man, *egregio olim Practico Neomagenſi.*

Epiſtola, in qua referuntur, in Latinum ſermonem hic translata eſt.

Obs. I, „ Filia mercatoris cujusdam Tilani, 12 a., habitus laxi & pituitoſi, a duobus retro annis admodum conqueſta erat de dolore abdominis circa umbilicum, cum vomitu præſertim ante meridiem, quo quicquid aſſumſerat ejiciebatur. ”

„ Poſtquam per ſat longum temporis ſpatium fruſtra contra hoc malum conſilio & remediis ſui tunc temporis Medici uſa eſſet, cum parentibus Trajectum ad Rhenum proficiſcebatur, a binis Medicis Clariſſimis conſilium petitura. Horum Virorum unus (ut retulerunt parentes) judicabat, dolorem abdominis naſci ex pituita tenaci, inteſtina obſidente, & ſequens Electuarium præſcribebat:

℞. Conſerv. Marrub. unc. III
Pulv. Ari compoſ. dr. III
M. Capiat ter de die dr. I

Alter accuſavit acidum in primis viis, quod ſequentibus Pulveribus domare nitebatur:

℞.

℞. Pulv. Cort. Peruv. unc. 1
Flor. Chamæm. unc. ſem.
Sal. Abſynth. dr. 1

M. F. Pulvis dividendus in 24 partes æquales.
Capiat pulverem ter de die.

Unum alterumque hoc remedium, quamvis diligenter & cum aſſiduitate aſſumtum, dolorem & vomitus non vincebat."

„ Doctiſſ. N. VAN LOOKEREN, qui mecum hanc hiſtoriam morbi communicavit, in auxilium vocabatur. Hic ægram inveniebat emaciatam, pallidam, & luctantem cum atrociſſimis doloribus circa umbilicum, quibus (uti ipſa dicebat) inteſtina quaſi conſtringebantur. Pulſus fere naturalis erat, & parum tantum debilior & celerior, quam in ſano homine. Alvus nonnihil tarda erat. Appetitus inæqualis, ſubinde vigens, interdum proſtratus. Sæpe nauſcabat, tumque nihil in ventriculo retinere poterat, ſimul non raro vomens materiem pituitoſam & acidam. Urina absque ullo ſedimento erat limpida. In toto vitæ regimine nihil inveniri poterat, cui hic morbus adſcribi poſſe videbatur: unice ex noſtratum more paulo nimis indulſerat potui Theæ & Caffeæ. Doctiſſ. VAN LOOKEREN, his conſideratis, de vermibus cogitabat, contra quos ſequentes pilulas præſcribebat:

℞. Gum. ſagapen. dr. II
Aſ. fœtid.
Extr. Rad. Valer. Sylv. aa dr. I
Trochiſc. de Myrrh. ſcrup. II
Vitriol. Mart. dr. ſem.
M. F. Pil. gr. IV. Sumat ter de die quinque.

Sed nec his, nec aliis fortioribus remediis ulterius quid proficiebat, niſi ut poſt ejectionem duorum triumve lumbricorum teretium, vivorum, vomitus minuerentur: remanentibus doloribus fixis, & æque continuis, ſub veſperam manifeſto auctis."

„ Hic erat Ægræ ſtatus, quum menſe Octobri 1780 in febrim ſcarlatinam anginoſam, tunc temporis epidemicam incideret, quæ tamen emeto-catharticis & ſudoriferis feliciter ſanabatur. Sed ſeptimana circiter a ſanatione elapſa in animi deliquium incidit, junctis levioribus convulſionibus, poſtquam vehemens doloris augmentum ſub veſperam paſſa eſſet. Elapſis tribus quatuorve diebus hoc iterum contigit; ſed cum violentioribus motibus brachiorum & totius corporis opiſtotono. Atque perduravit hoc, ita ut quotidie ad minimum ſemel (ſi vero aliquid inſoliti videret, vel audiret, pluries) epilepticos hos inſultus experiretur: anticipabant tamen quovis die ſemihoram. Animadverſione dignum eſt, vehemens augmentum doloris in abdomine ſemper has convulſiones præcedere, & ægram, poſtquam ad ſe rediiſſet, mox manus admovere illi abdominis plagæ, in qua maximum dolorem ſenſerat."

„ Re-

„ Rebus ita comparatis, dubitare cœpit Doctiſſ. VAN LOOKEREN, qualem cauſſam his convulſionibus aſſignaret: & videns præterea, cuncta adhibita remedia Antiëpileptica, Antihyſterica & Neurotica hic nullum præſtare effectum, conſtituit, meam de hoc morbo opinionem & conſilium expoſcere."

„ Omnibus rite penſitatis, non poteram non ipſum ad primam de cauſſa verminoſa, a qua uſu dictorum remediorum receſſerat, ſententiam revocare, ipſique ſuadere, ut, non obſtantibus jam fruſtra exhibitis Anthelminticis, remedium Noufferianum experiretur; quod quippe non tantum merito ad tæniam commendatur, ſed quod ipſe ego præſtantiſſimo cum ſucceſſu contra lumbricos teretes adhibueram."

„ Vir Doct. mox meum conſilium ſequebatur; ſed Ægra pulveres & potiones faſtidiens iterum iterumque pulverem Radicis Filicis Maris evomebat, retinens tantum bolum purgantem. Hic autem ob ſenſile ſyſtema nervoſum conſtans tantum ex Calomel. & Scammon. āā gr. VIII cum Confect. Hyacinth. q. ſ. plus quam viginti ſedes producebat, quibus nulli vermes, ſed magna copia tenacis pituitæ excernebatur, idque (quod notandum) eo cum effectu, ut ab illo tempore omnes convulſiones, quas ægra ſaltem ſemel de die pati ſolebat, ſublatæ eſſent, continuante tamen memorato abdominis dolore. Quapropter idem remedium poſt aliquot dies iterabatur. Ægra pulverem Radicis Filicis, ut antea, evomebat, & bolus efficiebat numeroſas & vali-

lidas excretiones pituitæ tenacis, cum unico lumbrico tereti mortuo. Quo facto, dolor abdominis nonnihil minuebatur, & Ægra ſe aliquanto melius habebat."

„His mihi a Viro Doctiſſ. communicatis, judicabam, idem remedium tertia vice tentandum eſſe: ſed Ægra nulla ratione eo perduci poterat. Malebat igitur laudatus vir non diutius hoc urgere; ſed ipſi porrigebat per tres dies ſucceſſivos forma pilularum (cum potionem aſſumere recuſaret,) quovis die gran. 12 *Extracti Corticis Geoffrææ*, tam felici cum eventu, ut primo die quinque, altero die octo, & tertio totum glomerem vermium teretium evacuaret, & ſic a ventris dolore penitus liberaretur."

Obs. II. „Juvenis ruſticus 15 vel 16 annos natus, a longo tempore ſæpius Catalepſeos ſpecie laborabat. Multa remedia ad hanc incaſſum adhibita fuerant. Tandem me accedebat. Præſcribebam ipſi:

℞. Pulv. Groſſ. Cort. Geoffr. unc. IV
Coq. in ſ. q. aq. cōīs per bihorium ad Colat. unc. XXIV. Sumat per tres dies inſequentes, & deinde altero quovis die mane jejunus unc. IV ſive octo cochlearia.

Ejecit hoc remedio magnam copiam lumbricorum teretium, brevique perfecte ſanatus fuit."

Obs.

Obs. III. „ Virgo intra 30 & 40 ætatis annum degens diu vexabatur vehementiſſimis cardialgiis, quibus quotidie per horas cogebatur, vermis inſtar, per ſolum reptare. Quicquid aſſumſerat, effectu caruerat. Jubebam, ut *Decocti*, in ſuperiore obſervatione memorati, eandem quantitatem per inſequentes aliquot dies, vacuo ventriculo, aſſumeret. Nulli vermes expellebantur; ſed magna quantitas tenaciſſimæ pituitæ per alvum ſecedebat, & Ægra priſtinam ſanitatem recuperabat perfecte, qua adhuc fruitur. ”

In alia epiſtola, poſtea data, idem Vir Doctiſſ. de Man ſic pronunciat: „ Eſt profecto (*Cortex Geoffrææ*) eximium remedium ad pituitam, & ſuſpicarer fere, in eo potiſſimum ejus vim in expellendis vermibus eſſe ſitam, quorum quippe nidus & ſedes (ut notum eſt) plerumque pituita eſt. ”

§. IV.

Tentamina cum Cortice noſtro inſtituta a Doctiſſ.
J. H. Rumpel, *&* *inter* mss.
Juliaansii *reperta.*

Teſtatur hic Vir, egregios effectus ſe inde obtinuiſſe in vermibus non tantum, ſed & in aliis malis. Vidit inde eandem etiam pituitæ excretionem. Aliquoties effectu caruit, in ægris præſertim, qui remedium ferre non poterant ob enormes, quæ inde oriebantur, anxietates: hasque potiſſimum obſerva-

vit in corporibus ſtrictioris habitus, dum laxa & pituitoſa corpora, & infantes longe facilius remedium ferebant. Ex caſibus, ab hoc viro communicatis, binos ſeligam.

Obs. I. „ Ancilla 30 a. a duobus annis Quartana duplici laborabat, quæ per uſum remediorum, a diverſis Medicis præſcriptorum, vel in ſimplicem convertebatur, vel pro brevi tantum intervallo tollebatur. Per dimidium annum menſes ſuppreſſi erant. Scorbutici & pituitoſi habitus erat, perque longam febris durationem debilis & œdematoſa."

„ Præſcripſi ipſi, præter debitum regimen, hos Pulveres:

℞. Cort. Geoffr. dr. III
Pulv. Gum. Arab.
Pulv. Liquir. aa dr. ſem.
M. F. Pulveres N°. XVIII.
Capiat die vacuo a paroxyſmo quovis bihorio unum, donec anxietatem ſentiat.

Simul exhibui Decoctum aperiens ex Rad. Gram., Liquir., aliisque conſtans. Nullam obſervavit inde anxietatem ægra. Secundo paroxyſmo febrili poſt caloris ſtadium longe majorem ſolito urinæ copiam emiſit, quod ſequenti die vacuo pergebat; & poſtquam tertia vice hos pulveres aſſumſerat, perfecte a febre liberata erat."

Obs.

Obs. II. „ Femina 40 a. robuſta, bene menſtruans, in nundinis commercii ſui cauſſa multum ſub dio morari ſolita, quavis veſpera periodicam patiebatur cardialgiam, cum vehementiſſimis anxietatibus & tenſionibus abdominis, quæ per dimidiam noctem durabant. "

„ Plures Medicos conſuluerat incaſſum. Ipſe varia etiam remedia exhibueram, quæ inter Camphoram, Cicutam & Semina Sinapi, itidem absque fructu. Tandem præſcripſi ſequens Decoctum

℞. Cort. Geoffr. unc. I & ſem.
Coq. in aq. lib. II & ſem. ad Colat. lib. I.
adde Vin. alb. Gall. lib. I.
Sumat omni hora cochlear.

Quo remedio eo cum effectu uſa eſt, ut plene ſanaretur. "

„ In duobus caſibus ſimilibus, minus tamen vehementibus, eodem modo feliciter & citiſſime remedium ſanitatem reſtituit. "

§. V.

Epiſtola circa Corticis Geoffrææ vires ad Clar. Voltelen *ſcripta a Doctiſſ.* J. Veirac, *Medico inter Roterodamenſes clariſſimo.*

Hæc epiſtola, Latine verſa, ſic ſe habet:

„ Quamprimum mihi, Vir Clariſſime! *Corticem*

Geoffrææ a biennio hinc, ut tentarem, miſiſti, in eo explorando mox occupatus fui. Hæc epiſtola tibi indicabit, qua ratione eo ſim uſus, quisque fuerit experimentorum meorum eventus."

„ In plerisque caſibus adhibui *Decoctum*, quod hoc fere modo præſcribebatur:

℞. Cort. Geoffr. dr. III
Coq. in ſ. q. aq. comm. Colat. unc. VIII adde
Aq. Naphæ vel ſimilis unc. I
M.

Subinde adhibui *Tincturam*; raro *Extractum*; & in unico caſu etiam *Pulverem* externe. Ratio hujus methodi non erat defectus occaſionis; ſed efficacia Decocti."

„ Doſes differebant pro variis indicationibus, ætatibus, aliisve conditionibus."

„ Dicta ulterius patebunt ex practicis animadverſionibus, quæ ex plus quam quinquaginta obſervationibus natæ ſunt; quæque, ubi illud utile videbitur, quadam caſuum deſcriptione confirmabuntur."

„ 1° Hic Cortex adverſus vermes (excepto lumbrico lato) in univerſum mihi viſus eſt certiſſimum, tutiſſimum, & commodiſſimum omnium remediorum, vel medendi rationum, quæ a me cum in finem unquam tentata fuere. Nam, quamvis hic Cortex pro Anthelmintico fallere neſcio non ſit habendus, datam tamen laudem ideo meretur, quia ſe-

ſexies propinatus quinquies ſcopo ſatisfaciebat, & fruſtra exhibitus nihil mali producebat."

„ Adulto homini totum Decoctum pro doſi erat, mane ſumtum; a 12 ad 20 annos duæ tertiæ partes dabantur; a 6 ad 12 annum dimidium; dum in pueris a 2 ad 6 annos natis una tertia pars mihi ſufficiebat. Si ante quartum diem nulli vermes prodirent, eorumque ſuſpicio tamen adeſſet, dabam expulſorium, ægri ætati & conditionibus conveniens. Hoc autem raro indigebam, quoniam hic Cortex plerumque abſque ulteriori remedio vermes expellebat."

„ Optimum inveni, ante & per omnem uſum remedii ægris prohibere lac, caſeum, carnem, & piſces; exceptis piſcibus ſiccatis (ſtok-visch), ſalſis, & halecibus, quæ cum condimentis e ſinapi ſeminibus, tuberibus Solani eſculenti, aliisque ſiccis cibis permittebam."

Dicta facile illuſtrabuntur paucis obſervationibus, quæ ex reliquis ſelectæ mihi ſatis momenti habere videntur, ad dictam Corticis utilitatem confirmandam. Brevitati ſtudebo, & monotoniam evitabo".

„ Puer nondum duos annos natus, ceterum ſanus, ex improviſo corripiebatur tremore amborum pollicum, quem inſequebatur fortis, non interruptus, & involuntarius tremor ſiniſtræ manus, deinde brachii ſiniſtri, cruris, & tandem utriusque palpebræ. Hoc ſymptoma ſubinde majore cum vehementia revertebatur; adhibitis remediis effectu hactenus deſtitutis. Nonnulla, licet non admodum manifeſta, vermium ſigna etiam ſuaſerant Anthel-

mintica experiri; & tandem (omnibus irritis) uſum *Corticis Geoffrææ.* Ægrotulus tunc ſex annos cum dimidio habebat. Inſultus, qui fere epileptici videbantur, redibant ſaltem ſemel per menſem. Poſt ejusmodi acceſſum, qui ſolito gravior erat, exhibui puero mediam partem Decocti ſupra memorati. Hanc exhibitionem ſequebantur, (quod in plerisque pueris obſervavi), nauſeæ, poſteaque materiæ albæ pituitoſæ vomitus. Inſequente, & tertio, die remedium absque incommodo ferebat. Poſtquam dimidium tertii Decocti aſſumtum eſſet, nauſeabat Ægrotulus; querebatur de ventris torminibus, & excernebat poſtea cum fœcibus multum pituitæ, cui denſe intermixti erant ascarides, tresque inſuper lumbrici teretes. Sequenti die purgans utile judicabam, ex Jalappa & Calomelite. Sub hujus operatione ſequebantur adhuc quinque vermes teretes, cum plurimus aſcaridibus. Ab illo tempore puer immunis fuit ab omnibus convulſivis ſymptomatibus, & vegetior, quam unquam antehac".

„ Juvenis 14 a. ultra modum eſuriebat; nihilominus vero in dies macilentior & debilior fiebat. Inexſpectato ei accidebat tumor labiorum; dum contractio pupillarum exigua admodum erat. Pulſus erat juſto celerior, minimus & aliquando intermittens. Suſpicio vermium, modo memoratis ſignis innitens, confirmabatur, ægro ſub multis anxietatibus vermem teretem vivum evomente. Ante aliquot dies hujus Ægri pater filiolam phthiſi perdiderat, nec ſine ratione timebat, ne & hic filius eandem ſortem ſubiret.

Nec

Nec ego multum ſolatii ipſi dare poteram; nam omnes conatus irriti erant. Poſtquam vero per tres dies, ſingulis vicibus, dimidium Decocti noſtri propinaſſem, & quarto die præſcripſiſſem Clysma Mannatum, cum parva copia Salis gemmæ; non ſine magna mei admiratione, nec minore parentum gaudio, hoc clysma inſecuta erat evacuatio maſſæ cujusdam pituitoſæ, cum uno vivo & quatuor mortuis lumbricis teretibus, ſolitæ longitudinis, & copia plurimorum ascaridum mortuorum. Clysma ſubinde iterabatur; nihil vero amplius excretum fuit, niſi mortui aliqui ascarides. Apparens tabes ſenſim mutabatur in perfectam ſanitatem, ita ut juvenis hodie nullum ſignum nec ſymptoma vermium animadvertat. Hoc in caſu id quoque ſingulare fuit, quod æger ante vermium eliminationem mane per tuſſim multum tenacis pituitæ excerneret, ſed in poſterum nihil horum perceperit".

„ Puella 18 a. multa offerebat ſymptomata Choreæ S. Viti (ceterum ſana), & inſultum vehementiorem percipiebat verſus tempus menſtruorum, quæ periodo ſua & quantitate rite ordinata erant. Juniori ætate vermem teretem ano excreverat; ſed poſtea nullos unquam. Delineatio ſymptomatum, decurſus morbi, & meæ medendi methodi, præſenti ſcopo parum conveniret. Sufficiatdixiſſe, omnes meos conatus, etiam contra ſuppoſitam verminationem per duos annos fruſtraneos fuiſſe. Poſtquam per tres inſequentes dies mane & veſpera oleoſum Clysma injici curaſſem, quarto die exhibebam mane totum *De-*

co-

coctum Geoffrææ, cum Liq. Anod. Min. Hoffm. dr. 1. Admodum nauſeabat, & poſt meridiem patiebatur vehementem inſultum convulſionum, & paſſionis hyſtericæ. In hoc tentamine tamen pergere cupiens iterabam ſequenti die Decoctum, additis dr. 2 Tincturæ Caſtorei; & præſcribebam clysma cum Melle omni trihorio repetendum. Poſt ultimam injectionem verſus noctem ſequebantur vehementes ventris cruciatus, & motus ſpasmodici, quibus corpus in quasvis flexuras torquebatur. Ea nocte Clysma bis injiciebatur, eo cum effectu, ut Ægra mane lumbricum teretem mortuum cum fœcibus excerneret. Ut brevis ſim: pergebam eodem modo, tam in Decocto, quam in Enematibus per duos adhuc dies, quibus elapſis lætus accipiebam, morigeram meam Ægram ſex, quorum plerique vivebant, vermes teretes per alvum excreviſſe, una cum multa pituita, & ſplendente materie, albumini ovi coagulato non abſimili. Poſt has excretiones omnia ſymptomata commoti adeo ſyſtematis nervei evanuerunt, & puella jam per annum perfecta fruitur valetudine".

„ Obſervationes has aliis augere poſſem, ſi hæ inſervire deberent ad ulterius quid demonſtrandum, quam manifeſtam & nunc ſatis probatam vim anthelminticam noſtri Corticis. Hæc potentia etiam intendi poſſe videtur, ita ut, ſi Cortex per ſe non ſatis efficax ſit, aliud quoddam remedium, per ſe æque minus efficax, ipſius vim anthelminticam augeat. Bis ſcopum tetigi, eandem quantitatem Valerianæ Sylveſtris addendo *Decocto Geoffrææ*, poſtquam utrumque remedium ſeor-

ſeorſim incaſſum tentaveram. Sed dolendum, quod raro juniores ægrotuli injucundam hanc compoſitionem aſſumere velint. Credo etiam, de proprietate vermifuga Corticis certiores nos eſſe futuros, quando æger in anteceſſum ad ſimilem victus, & medendendi normam redactus fuerit, qualis vulgo commendatur ante uſum heroïci cujusdam ad tæniam".

„ Docebant etiam experimenta, præſertim curandum eſſe, ne nimia muci excretione inteſtina denudentur. Æger aliquis, poſtquam ter Decoctum, & quarto die purgans aſſumſerat, multum muci excernebat absque vermibus. Querebatur de ventris torminibus, & poſtea, ſub alvi tenesmis, aliquid muci, ſanguine tincti, emittebat. Suſpicio verminationis nimis magna erat, quam ut cura non repeteretur. Hoc tamen poſt duas demum hebdomadas fiebat; intra quod tempus Ægrotulus larga copia Emulſionis Arabicæ utebatur. Hæc præcautio ſupplebat muci defectum, cum ejus ſequelis; dum & in hoc caſu Cortex noſter ſucceſſu non carebat."

„ An hæc proprietas noſtri remedii unice vi expellenti, an vero ſimul vi vermibus lethiferæ adſcribenda ſit, & quid ſpecifice eam proprietatem conſtituat, determinare non auſim. Occaſionem tamen arripiendam eſſe, cenſebam, inquirendi, an minor doſis, & diuturnior uſus hujus Cortius ipſius vim vermes necantem confirmaret. Hoc ſcopo uſus ſum Decocto vel Tinctura. Illius quovis bihorio cochlear propinabatur; hujus ter quaterve de die circiter dr. 1 ex vino albo. Poſt elapſas duas tresve ſep-

timanas conveniens exhibebam remedium expellens, vel & totum Decoctum. Ex comparatione vero eventuum mox patebat, Corticem, hoc modo tentatum, minus ſuccedere".

Sed nolo diutius tua, Vir Clariſſime! attentione abuti, enarratione virium remedii, quod melioribus tuis experimentis certius illuſtrari demum poterit. Majoris momenti erit conſiderare, quid hic Cortex aliis in caſibus præſtiterit".

„ 2° *Cortex Geoffrææ* manifeſto proderat in nonnullis morbis pituitoſis, præſertim in Aſthmate pituitoſo, habituali & periodico; in Tuſſibus catarrhalibus; & in Tuſſi convulſiva infantum. Hæc utilitas tamen differebat pro diverſis indicationibus: nam, ſi tamquam Incidens in minutis doſibus adhiberetur, materies mucoſa per hoc remedium facilius videbatur excerni, & emendari. Ut Concutiens nauſeoſum adminiſtratum in maxima quantitate, effectus fere ſimilis erat Scillæ".

„ An boni ejus effectus inter paroxyſmos clangoris in Tuſſi convulſiva vi antiſpaſmodicæ, an alii potentiæ adſcribi debeant, non audeo determinare. Hoc certum eſt, inſultus & vi & numero viſos eſſe imminui, & excretionem pituitæ facilius procedere".

„ Quodſi enarratio ſingulorum caſuum majorem quamdam firmitudinem dare poſſet univerſali huic experientiæ, ab hac, non obſtante temporis mei penuria, me non ſubſtraherem; ſed hoc ſuperfluum videtur. Id unum prætermittere non poſſum, quod, ſi

æ-

ægri conditiones remedium poſtulent pituitam incidens, quod minus, quam alia, calefacit, hoc in noſtro Cortice inveniendum ſit. Nec hoc omittere poſſum, quod, ſi nauſeæ requirantur per remedium, quod ventriculo non obeſt, nec appetitum multum imminuit, Tinctura hujus Corticis cum optimis reliquorum Nauſeantium comparari mereatur".

„ 3° Tentavi etiam hoc remedium in plurimis Hydropibus tam anaſarcis, quam ſaccatis. Hoc tamen ſæpe fruſtraneum erat; aliquando utilitas dubia erat: ſed certiſſime tentamen ſuccedebat, quando hic Cortex tamquam Adjuvans aliis Hydragogis jungebatur. Sequens obſervatio dictum hoc confirmet!"

„ Matrona ultra 60 annos nata, conſtitutionis laxæ, vitæ otioſæ adſueta, dedita potibus tepidis aquoſis & lacteis tandem incidebat in Anaſarcam, incipientem a tumore in dorſo pedum, qui gradatim adſcendebat, donec morbus perfectus eſſet; quamvis nullum ſignum aquæ in aliqua cavitate collectæ deprehenderetur. Hoc in ſtatu hæc Ægra meæ curæ commiſſa erat, quum *Corticem Geoffrææ* tentandum mihi mitteres. Neque ignorabam, quam parum vel maxime laudatis Hydragogis fidere liceat. Non obſtante enim omni mea cura & attentione, hic quoque irrita erant. Uſus diu continuatus vini Scillitici Huxhami omnium optime tamen ſatisfecerat; quamvis Anaſarca tandem ad eum vehementiæ gradum perveniſſet, ut crura gangræna minitaretur,

 jam-

jamque de Scarificatione (utut plerumque inutili) cogitarem. In hoc morbi ſtatu præſcribebam *Decoctum Geoffrææ*, cujus quavis hora cochlear aſſumeretur. Vehementes admodum nauſeæ ad doſium imminutionem me cogebant; & irrita remedii propinatio per duas ſeptimanas mutationem in cura ſuadebat. Sequens Infuſum præſcribebam":

℞. Scill. rec. dr. II
Cort. Geoffr. dr. III
Stent calide per 36 horas in ſ. q. Vini Canar.
adde dein Colat. unc. XX
Tinct. Helleb. nigr. unc. II
——— Cort. Peruv. unc. III
M.
Sumat omni bihorio cochlear frigide.

Ex uſu hujus Infuſi experiebar hoc in caſu, quicquid ab optimo Deobſtruente Diuretico exſpectari poſſet, dum remedium ſimul tamquam Purgans ſeroſum operabatur; nam Ægra per alvum & urinas quotidie excernebat multam materiem aquoſam, ita ut, ſine ullo alio remedio, ſub vitæ regimine, morbi indoli accommodato, intra decem ſeptimanas in ea eſſet conditione, ut perfecta tandem ſanatio obtineretur, æquali inſuper quantitate Tincturæ Cort. Peruv. & *Geoffr.* exhibita; & Ægra hodie annum cum dimidio poſt hanc curam bene valeat."

„ Femina paupercula 36 a. confirmata laborabat A-

Aſcite, quum explorandum noſtrum Corticem mihi mittebas. Admodum debilis erat, & ſe tunc fere tres menſes gravidam ſuſpicabatur. Venter valde tenſus erat, & ad Paracentheſin jam concluſum erat; ſed cum hanc inſtituere animus eſſet, Ægra eam declinabat. Præſcribebatur itaque ſequens remedium:

℞. Cort. Geoffr. dr. II
Coq. in ſ. q. aq. comm. colat. unc. VIII adde
Tinct. ejusdem Cort. dr. VI
Liq. anod. min. Hoffm. dr. II
Aq. Cinnamom. unc. I
M.
Sumat quavis ſeſquihora cochlear frigide.

Simul ventrem fricandum jubebam cum oleo Olivarum, qnod jam diu ante facere cœperat. Quarto die Ægra liquidam alvum experiebatur, quæ continuabat, absque ut debilitas inde augeretur. Ab aliquot ſeptimanis vexata erat dyſuria & dolente ſtranguria: ſed & hæ minuebantur pro ratione auctæ urinæ excretionis. Poſtea excernebat urinam fuſcam, craſſam & turbulentam, cum notabili remiſſione ſymptomatum Aſcitis. Pergebat in uſu memorati Decocti, donec urina tenuior evaderet, quamvis ejus quantitas ſemper manifeſto major eſſet, quam aſſumti potus. Venter intra tres menſes detumeſcebat; vires quotidie augebantur, tandemque omnia Aſcitis ſigna evanuerant. Perfecte ſanabatur; juſto

K 3 tem-

tempore infantem enitebatur; ſana poſtea manſit, & nunc altera vice peperit. "

„ Non obſtante convincente hac obſervatione, non poſſum, quin ex ſufficienti experientia concludam, hoc remedium, quamvis conſilio directum, his in caſibus ſæpe fallere. Id tamen tuto aſſeverare poſſum, illud, quamvis diu aſſumtum, nullum unquam incommodum producere. Sed hæc in tranſitu. "

„ 4° In tribus Maniacis hoc remedium tum ſeorſim, tum cum celebratis ſpecificis adhibitum, inutile inveni. Unum caſum exciperem, niſi in eo multarum conditionum concurſus fuiſſet, quæ vetant, quominus juſto titulo ſoli *Geoffrææ* Ægri melior ſtatus, qui præterea per aliquot tantum dies durabat, adſcribatur. "

„ 5° Plurimi Scabioſi, quolibet modo, variisque cum additamentis hoc remedio uſi ſunt, ſed non alio effectu, niſi quod morbus eodem modo pergeret & deſineret, ac ſi Cortex non propinatus fuiſſet. Nihil ſaltem ad curationem hujus morbi faciebat, quod nonnulli, eodem modo ac alii a Scabie immunes, ab uſu hujus remedii nauſeabant, vomebant, vel vermes excernebant. "

„ 6° Commodum ex vi *Geoffrææ* certius erat, & magis conſpicuum, quando Cortici Peru-

via-

viano junctus erat in laxitate inteſtinorum cnm diatheſi ſanguinis mucoſo-ſcorbutica, quæ ſæpe ſequela eſt diuturnarum febrium vernalium & autumnalium. Hoc in caſu noſter Cortex videtur vim tonicam roborantem Corticis Peruviani augere, ſimulque ejus vim adſtringentem (quæ ſub his conditionibus noxia eſſe poteſt) minuere."

„ 7° Obſervatione quadam innixus ſuſpicor, uſum ejus internum cum Cortice Peruviano, ſimulque in Pulvere extus adhibito, utilem eſſe poſſe in Gangræna ſpontanea ſenum; hunc ſaltem Corticem in tali caſu, & per conſequens in aliis Gangrænæ ſpeciebus, commendare auſim."

„ Ex omnibus his concludo, *Corticem Geoffrææ* principem locum mereri in catalogo Anthelminticorum; pertinere eum ad Incidentia, Deobſtruentia; Hydragoga; tandemque hoc remedium Cortici Peruviano junctum pertinere ad Roborantia."

„ En, Vir Cl.! periculorum meorum, diligenter & ſine ullo partium ſtudio, præjudiciove inſtitutorum eventus fideliter enarratos. Dolerem quam maxime, ſi ſortem, novis pleriſque inventis communem, hic quoque Cortex tam eximius experiri olim deberet, ut ſedulo exploratus, iterum iterumque laudatus tandem tamen oblivioni traderetur."

§. VI.

§. VI.

Binæ Obſervationes, extractæ ex epiſtola ad Cl. VOLTELEN *a Doctiſſ.* DU PUI *data, tunc Poliatro & Anat. ac Chir. Lectore Campenſi, nunc Profeſſoris Honorarii titulo Alcmariæ ornato.*

Poſtquam Vir Doctiſſ. in hac epiſtola monuiſſet, ſe ſæpius exhibendo hoc remedium conſtantem vim Vermifugam obſervaſſe, ſed praxi frequentiori aliisque diſtractum negotiis, ſedulam annotationem neglexiſſe, hoc modo caſus, quos annotaverat, enarrat.

OBS. I. „ Iteratis vicibus, ab illo tempore, quo hunc accepi Corticem, juxta tuam præſcriptionem Juveni ſymptomatibus epilepticis convulſivis vexato, omnibus fere, celebratiſſimis alias Vermifugis incaſſum tentatis, præſcripſi; eo cum eventu, ut ſeptem vermes eo fuerint excreti prima vice, qua aſſumſit. Poſtmodum nullum iterum inde effectum habuit. Mobilis licet eſſet ſyſtematis nervoſi, ex ejus tamen uſu exortas nullas percepi turbas, nullas anxietates, convulſiones nullas. Poſtea nec in hoc ſolatium inveniens remedio, aliis uſus fuit hic Æger auxiliis. ”

OBS. II. „ Die 18 Februarii 1785 juxta tuam iterum præſcriptionem Virgini honeſtæ, per longum tempus ſpasmodicis & convulſivis affectionibus, quæ

quæ juxta Medicorum variorum auguria vermibus aut teretibus, aut lato originem ſuam debebant, affectæ, poſtquam, me ſuadente, unc. 2 Lemintochorti, ſingulis diebus tripartitis vicibus dr. ſem. absque ullo effectu aſſumſerat, propinavi *Decoctionem Corticis Geoffrææ.* Effectus erat, ut primo die lumbricus teres, magnus, mortuus fuerit excusſus; ſecundo & tertio die non item. Quarto die exhibui Purgans ex Rad. Jalapp. dr. 1 & Merc. dulc. gr. III. Ex his alvus ſexies fuit ſoluta, & tres lumbrici adhucdum fuerunt ejecti. Ex aſſumto hoc Cortice paſſa eſt multum; anxietatibus doloribusque, expulſa ſimul ſurſum & deorſum muci & pituitæ copia magna, vexata: & ſyſtema nervoſum agitatum inde multum, ita ut tremores artuum, labiorum & oculorum fuerint viſi. Hæc omnia poſtmodum disparuere ſymptomata. Sedantia dein & antispasmodica exhibui medicamenta, tali quidem cum effectu, ut in hunc diem (26 Jan. 1788) ſanitate fruatur conſtanti, nec ullis illius generis affectionibus poſtea affecta fuerit."

§. VII.

Obſervationes circa vim Cort. Geoffr. cum Cl. VOLTELEN *communicatæ a Viro Doctiſſ.* J. P. ERMERINS *Medico Medioburgenſi.*

OBS. I. „ Matrona quædam 30 a. laborabat inteſtinorum debilitate tanta, ut octavo quolibet die ob alvi ſegnitiem purgans ſumere cogeretur. Corro-

borantia præſcripta per aliquod tempus levamen attulerunt. Verum certo quodam die narrabat, ſe ſentire motum quemdam & irritationem circa; & ſimul indicavit, ſe ſæpius vermibus laboraſſe, quin ante biennium adhucdum nonnullos excreviſſe. Tres ipſius infantes plures quoque vermes depoſuerant. Languida ſæpe erat ventriculo; appetitus proſtratus, qui tamen in prandio erigebatur; verum paucis horis poſt paſtum ventriculum iterum quaſi vacuum ſentiebat. Pupillæ dilatatæ apparuerunt".

„ D. 30 Auguſti 1784 (tempore ſcilicet plenilunii) primo mane, jejuno ventriculo cepit tertiam partem, ſive quatuor uncias Decocti ex unc. 2 Cort. Geoffr. ad Colat. unc. 12 facti. Optime illud ſuſtinuit; nihil evomuit: nauſeoſa tamen fuit, quod vero cœnæ præcedenti graviori adſcribebat: attamen hoc medicamentum maxime affecit ſyſtema nervoſum. Hoc die alvum bis liquide depoſuit, quaſi a laxante; aſt nulli adfuerunt vermes. Diætam tenuem his diebus adoptavit. D. 31 Aug. alteram doſin Decocti hauſit, ſed ſine nauſea fuit, ut & die inſequente: alvum bis terve depoſuit, & ſimul tres vermes rotundos ſatis longos, quorum excretione levamen allatum fuit. D. 1 Sept. tertiam decocti partem aſſumſit. Idem effectus, licet jam melius ferat medicamentum; ſed nulli amplius vermes. D. 2 Sept. Purgans exhibitum, verum non amplius vermes prodierunt. Poſtea optime valuit".

OBS. II. „ Matrona præcedentis obſervationis

iis-

iisdem ſymptomatibus laborare incepit (Ao. 1786), ac ante biennium, adeoque morbum initio potius, quam ulteriore progreſſu eradicare cupivit: hinc d. 13 Junii 1786 iisdem ſub conditionibus primam *Decocti Geoffrææ* partem ſumſit; ter inde alvum exoneravit, dolores inteſtinorum & defatigatio aderant, ſed nulli ſyſtematis nervoſi affectus. D. 14 ex altera hauſta doſi non niſi naturalem alvi dejectionem experta eſt, verum ſimul dolores, motitationes, & ingratiſſimum inteſtinorum ſenſum. D. 15 tertia Docoᴄti portio ingrata iſta inteſtinorum ſymptomata non produxit: in unica alvina excretione depoſuit tres lumbricos teretes. Ceterum melius ſeſe habet, niſi quod debilis ſit. D. 16 præſcripſi Eccoproticum ex Sale Ebsham. &c., quo alvum hoc die & inſequente liquidiſſimam habuit, aſt ſine torminibus, ſequenti autem mane vermem teretem, priores magnitudine ſuperantem dejecit. Syſtema nervoſum in hac operatione nullatenus paſſum fuit":

OBS. III. „ Puer 9 circiter a. autumno Anni 1784 febre bilioſa laboraverat, & quamquam multa adhibita fuerint evacuantia, perſtitit febris, cum pupillis oculorum dilatatis, pruritu narium; color faciei erat pallidus, venter tumidus & durus, appetitus validus, febris lenta fere continua":

„ Vermes licet ad tanta remedia non apparuerint, ſuſpicio eorum præſentiæ oborta eſt. Sepoſitis igitur omnibus aliis præſcripſi *Decoctum Cort. Geoffr.* eadem formula & doſi ac ante. D. 3 Novemb. ſum-

 ſit

ſit ſimili modo, ac præcedentes, primam partem Decocti, ſed duabus vicibus: probe tulit remedium, quamvis nauſeæ & vomituritiones magnæ fuerint. Alvum copioſe & frequenter dejecit, ſimulque vermem teretem ſatis longum. Altero die 4 Nov. alteram doſin, ſed quatuor vicibus hauſit; minus quidem evomuit, valde tamen profligatus fuit, abunde fœces depoſuit. Tertio die 5 Nov. tertiam diviſionem, eodem modo ac heri, ſumſit: minores & pauciores fuerunt alvi depoſitiones, detumet venter, & minus durus eſt. Quum copioſe adeo alvum exoneravit, quarto die nullum purgans datum eſt. Plures forſan vermes dejecti fuerunt, primo ſaltem & altero die membranæ diſſolutæ ac putrefactæ inter fœces reperiebantur. Quamquam hoc in Ægrotulo ad Lunæ curſum minus attentus fuerim, docuit tamen eventus, non minorem fuiſſe ſucceſſum".

„ Dum quædam ſymptomata vermium perſtiterunt, iteravi *Decoctum Geoffrææ* d. 11 Januar. 1785 & diebus inſequentibus, ſuperaddito Purgante; ſed nulli amplius vermes prodierunt, membranæ putridæ tantum excretæ ſunt".

Obs. IV. „ Ancilla annorum fere 24 jam longo ab hinc tempore laborat vermibus, qui multos ipſi creant cruciatus, anxietates, varias nervorum affectiones, & dolores vagos; color facieï pallidus eſt. Subinde quidem vermes alvo depoſuit, ſed fomes eorum ad quævis remedia rebellis eſt. Sæpe ſentit vermes repentes, imprimis dum cibos aſſumit; nauſeabunda ſæpius eſt, imprimis mane, jejuno ventriculo."

„ D.

„ D. 1 Decemb. 1784 hauſit duabus vicibus primam *Decocti Geoffrææ* portionem. Nauſeoſa valde fuit, evomuit parum; ſentiit primo vermes furſum repentes, ſimul ac hauriret remedium (hoc ita ſolebant, quoties cibos deglutiret); verum paulo poſt, quum loco cibi huic veneno occurrerunt, animadvertit, eos deorſum abiiſſe, dolores fortiores dein in inteſtinis paſſa eſt: nihil edit, niſi poſt meridiem, quorum ciborum dein partem vomitu rejecit. Ad veſperam ſemel alvum liquide depoſuit, fœces mucoſæ erant. D. 2 Dec. nocte ſatis dormivit. Sumſit alteram doſin ſimul & ſemel. Hoc mane neutiquam eſuriebat, ac heri & diebus præcedentibus, dolores magis ad inferiora in inteſtinis terminantur. Poſt meridiem, quum cibos leviores aſſumſiſſet, experta eſt anxietates vehementiores. Veſpera bis alvum dejecit, & hac occaſione, absque ulla ſenſatione, vermes duos teretes, quorum unus ſemiulnam, alter vero quadrantem ulnæ referebat, concomitante copia aſcaridum. D. 3 Dec. bene dormivit. Cepit tertiam partem Decocti. Dolores vagos per corpus, ut antecedentibus diebus, nullos amplius experitur; melius longe ſe habet, nullos animadvertit vermes repentes; remanet tamen pondus, placentæ adinſtar inter umbilicum & cardiam. Veſpera bis alvum dejecit, nulli aderant vermes, ſed membranæ & fibræ diſſolutæ & putrefactæ. D. 4 Decemb. præſcripſi purgans medicamentum. Color faciëi non adeo flavet, ſed ad roſeum vergit, vomitu parum muci rejecit, hinc onus ad ventricu-

 lum

lum aliquantum imminutum. Quater alvum depoſuit, nullos autem vermes, ſed membranas putrefactas. D. 5 Dec. iteravi purgantem mixturam: aliquoties alvum dejecit, & ſimul quinquaginta circiter aſcarides excrevit; magnum inde ſolamen, hinc pondus ad ſtomachum ex toto ſublatum. Optime ſe habet ægrota, & nunquam meliore ſanitate fruïta eſt. "

„ D. 12 autem Januar. 1785, quum iterum male ſe habuit, & ſymptomata indies creſcebant, Decoctum præſcripſi memoratum, deinde Purgantia; maxime quidem profligata fuit, nulli vero vermes apparuerunt. "

„ Eadem hæc Ægrota tertia vice, multa cum conſtantia, eodem utitur remedio d. 8 Februarii 1785; fortioribus dein datis Purgantibus; ad quæ etiam magnam aſcaridum copiam excrevit multo cum levamine. Plurimum iterum in operatione hujus remedii tulit, ſed jam ad hunc diem (15 Septemb. 1785) illibata gaudet ſanitate. "

„ In genere obſervavi (quod mirum) adultos magis pati ab operatione hujus remedii, quam infantes. "

Obs. V. „ Filius Viri Graviſſ. N. N. 5 a. per longum tempus laboravit tuſſi ſtomachica, cum ſputo ſtriis ſanguineis tincto, febribus, ventre duro &c. Chirurgus quidem multa adhibuerat medicamenta, quæ malum palliarunt, neutiquam ſanarunt. Suſpicio mihi oborta præſentiæ vermium, præter

ma-

memorata, ex pupillis dilatatis, pruritu narium, ſimilibusque: præſcripſi *Decoctum Cort. Geoffr.* ex unc. 1 & ſem. ad colat. unc. 9, ut uteretur conſueto more hoc Decocto. D. 7 Januar. 1785 ſumſit mane primam partem: optime ſuſtinuit, atque non adeo affectus fuit ab hoc remedio, quam reliqui ægroti, etiam adulti: evomuit parum, ter liquide alvum ſubduxit, ſed nullos vermes. D. 8 Jan. ab altera portione magis evomuit, binas depoſitiones alvinas habuit. Nulli aderant vermes. D. 9 tertia doſis eadem produxit, & vomitu ſatis magna muci tenacioris copia ejecta fuit. D. 10 Infuſione Sennæ aliquot alvi depoſitiones ſuſtinuit, & vermem teretem longum excrevit. Venter multum detumuit, tuſſis modica eſt, ſanguinis excreti nulla apparitio. Lunæ periodus non fuit obſervatus."

§. VIII.

Obſervatio cum Cl. Voltelen *communicata a Doctiſſ.* J. B. Croll *Medicinæ Doctore Dordraceno.*

„ Matrona quædam 33 annos nata, firmæ corporis conſtitutionis ac quinque liberorum fœcunda mater, a teneris juventutis annis vermibus ſubinde vexabatur; longo tamen abhinc tempore nullos excreverat, donec præterlapſa ultima æſtate varia, quibus tum infeſtabatur, ſymptomata (nauſea ſcilicet, cephalalgia, appetitus admodum auctus, at cito ſedatus, anxietates &c.) vermium in primis viis nidulan-

lantium novam fecerunt ſuſpicionem. Nullis aliis medicamentis præviis, mox ad *Corticis Geoffrææ* uſum, cujus egregias vires in eliminandis aſcaridibus jamjam expertus eram, confugi, eumque Decocti forma ſolitoque modo propinavi. Prima doſis nauſeas & vehementes vomendi conatus excitavit, mitior erat ſecunda, itidemque tertia. Nulli interea ejecti vermes; quarto vero die Laxante ex Rheo dato intra triduum quindecim lumbrici teretes, longi, craſſi, mortui excreti ſunt, & Ægra ſanitati reſtituta. "

„ Vero tamen haud abſimile, illam plures lumbricos excreturam fuiſſe, ſi Purgans efficacius egiſſet; conſtat enim, Matronam noſtram nondum perfecte a vermibus liberatam eſſe, cum quatuor circiter menſibus ab uſu *Corticis Geoffrææ* lumbricum ſponte ejecerit. Quare neceſſariam adeo medicamenti iterationem propoſui; eam vero omnino declinavit Ægra. "

§. IX.

Obſervatio per varias litteras cum Cl. N. G. OOSTERDYK, *Præceptore meo æſtumatiſſimo, communicata ab Expert.* J. A. SIKKE *Chirurgo in pago* Aarlanderveen.

Ex variis litteris hujus caſus hiſtoriam excerpere benevole mihi conceſſit Vir Cl., quarum Auctor hunc caſum obſervavit, & remedii effectus ſingulari cum diligentia & fide accuratiſſime annotavit, quod

eo

eo facilius potuit, cum Ægrotula hujus obſervationis ipſius filia eſſet.

Hæc ſeptennis varia offerebat ſymptomata, quæ vermium præſentiæ ſuſpicionem movebant. Suadente Cl. Oosterdyk *Corticem Geoffrææ* exhibuit ſequenti modo: decoxit *Cort. Geoffr.* unc. 1 cum aq. unc. 12 ad colat. unc. 4 cum dimidia; hujus decocti primam doſin dr. 10 filiæ ſuæ dedit d. 7 Decem. 1785, hora octava matutina. Brevi inſequebatur nauſea; & hora nona alvi excretio materiæ tenacis, in qua ſex vermes plani, ſemina cucurbitæ referentes. Ad veſperam usque continua nauſea fuit, interdum & vomitus pituitæ & bilis, & una alvi depoſitio liquida absque vermibus. Altero die non aſſumſit remedium, vermes tamen ſimiles duos excrevit. Tertio, quartoque die aſſumſit decocti dr. 2 cum dimidia quovis die; unde nauſea &c. Iterum ſimiles vermes ſequebantur, plerique ſemicorrupti. Quinto die Pilulas purgantes ex Jalappa, Maſſa Pil. Ruffi & Extracto Rhei ſumſit, unde multi vermes ejecti, partim fuſci & mortui, partim albentes & vivi.

Per ſeptimanam dein a medicamentis abſtinuit; multi tamen vermes, vel potius vermis fruſta inſequebantur.

Denuo aſſumſit Decocti ſupra memorati dr. 3, unde nauſea, & vomitus bilis & pituitæ, & poſtea etiam moleſtus veſicæ teneſmus. Vermis aliquot fruſta excrevit viva, & longas pelliculas, ſemicorruptas.

Continuatum ita eſt Decoctum interpoſitis quovis quarto quintove die Pilulis purgantibus, jamque fere absque vomitu remedium ferebat. Quotidie ſimilia fruſta vermis plani decedebant, ita ut 23 Decemb. numerus horum fruſtorum eſſet 144, præter pelliculas corruptas, quas excreverat. Sub continuato uſu remedii quotidie vermis fruſta nonnulla excernebantur; inter quæ longiora, articulata, partim viva, partim mortua: unum horum fruſtorum ultra ulnam longum erat, & vivum. Manifeſto jam conſtabat, tæniæ fruſta eſſe, quæ excernebantur.

Tandem d. 25 Januar. 1786 in unica alvi excretione repertum eſt fruſtum vermis convolutum, tres ulnas longum, in apicem tenuisſimum deſinens, & brevius quoque fruſtulum, itidem tenuisſimum, a priori veroſimiliter abruptum, una cum 61 fruſtulis ſive articulis ſeparatis: debilis tantum vita in his fruſtis conſpiciebatur. Eodem die in aliis quatuor alvi evacuationibus 27 articuli ſeparati adhuc inveniebantur. Post hunc diem per aliquot ſeptimanas vermis indicia in excrementis non apparuerunt: jamque longe melius valebat Ægrotula, bene appetebat, dormiebat, color naturalis fiebat, nec pupilla dilatata erat.

Elapſo aliquo tempore verminationis ſigna denuo apparebant. Ineunte itaque mente Majo inſequente *Cort. Geoffr.* iterum exhibitus eſt. Sumſit nunc quotidie gr. 6 Pulveris, cum Extracto Abſynth. in Pilulas redacti, interpoſitis omni quatriduo Pilulis purgantibus. Sub uſu horum medicamentorum quotidie

tidie fruſta vermis deceſſerunt, quorum unum ulnam cum dimidia longum erat.

Per inſequentes menſes usque ad finem Octobris perrexit in uſu Pulveris, ſed in formam Electuarii cum Rob Ribes. redacti, qua forma efficacius agere videbatur, quam forma Pilularum. Doſis ſub finem augebatur ad gr. 10. Hac ratione, interpoſitis ſubinde Pilulis purgantibus, vermis adhuc articuli paſſim excernebantur, & fruſta etiam longiora, quorum duo, quæ duas ulnas cum ſemiſſe æquabant; jamque absque nauſea fere remedium ferebatur.

Menſibus Novembri & Decembri iterum datum eſt Decoctum adſcendendo ab uncia dimidia ad integram: unde initio nauſea & vomitus. Sub uſu Purgantium excreta ſunt varia fruſta tæniæ, inter quæ unum trium ulnarum longitudine. Continuatus eſt uſus remedii usque ad finem Decembris, poſtea intermiſſus.

Poſt aliquot menſes denuo quidem ad remedium deventum eſt; ſed minore cum ſucceſſu.

§. X.

Obſervatio Doctiſſ. C. PEEREBOOM, *Medici Amſtelodamenſis.*

Quum acceperam, Doctiſſ. hunc Virum remedium noſtrum etiam ſæpius adhibuiſſe, per litteras ipſum rogavi, ut, ſi quem caſum memoratu dignum haberet, hunc mecum communicaret. Non diu poſt mihi per epiſtolam reſpondit; in qua refert; ſe ante

aliquot annos a Doctiſſ. VAN STUYVESANT, Medico olim Surinamenſi accepiſſe remedium anthelminticum, ut vires ipſius exploraret. Remedii compoſitionem tunc ignorabat; jam vero ex meis litteris perceperat, fuiſſe illud *Decoctum Corticis Geoffrææ Surinamienſis.*

Remedium exhibuit puero decem annorum, a nativitate fatuo, omnique rationis uſu deſtituto. Præterea hic miſer quotidie convulſionibus & motibus epilepticis diſcruciabatur. Conſultus a parentibus Vir Doctiſſ., curam ultra vires eſſe, quidem obteſtabatur; ſed, aliquot ſigna vermium latentium deprehendens, de afferendo tamen aliquo ſymptomatum levamine non deſperabat. Varia itaque, eaque probata præſcripſit remedia, quæ tamen, licet diagnoſin, ejecto uno alterove lumbrico, confirmarent, nidulantes hoſtes tamen penitus exterminare non potuerunt. *Decoctum Geoffrææ* itaque tentavit, cujus mane dedit unciam unam, unica vice; eo effectu, ut poſt meridiem mater pueri ultra quadraginta vermes apportaverit, qui ex ano, tamquam proſecuti, effugerant.

§. XI.

Corollaria, ex allatis Obſervationibus elicita, Synopſin virium medicatarum Corticis Geoffrææ *ſiſtentia.*

1° Obſervationes, quas attulimus, docent primariam *vim*, quæ Cortici noſtro ineſt, eſſe *Anthelmin-*

minticam; qua ſola primum inter Indos Surinamenſes notus, dein & apud celebres Medicos, qui eum adhibuerunt, inclaruit. Hanc tanto poſſidet gradu, ut dubitare fere liceat, an unquam in caſibus, ubi vere vermes aderant, effectu caruerit. Quod enim ſubinde absque vermium excretione exhibitus fuerit, ideo tamen inertiam non arguit, ob dubiam & fallacem vermium diagnoſin. Quamvis, uti optima quæque interdum fallere ſolent, ita & hoc medicamentum ſucceſſu deſtitui nunquam poſſe, nemo facile contenderit. Id ſaltem tuto aſſeverare licet, ſi fefellerit, raro admodum fefelliſſe, & inter omnia reliqua Vermifuga certiſſimum effectum præſtitiſſe.

Hoc autem dictum præſertim velim de lumbricis teretibus & aſcaridibus: quod tamen non ita intelligendum, acſi ad tæniam omni vi careret *Cortex Geoffrææ* noſter; nam, præterquam quod rariſſime ad hanc propinatus fuerit, contrarium luculentiſſime docet Obſervatio § 9 relata. In eo caſu tam eximio cum ſucceſſu exhibitum fuit noſtrum remedium, ut præter longiora brevioraque plurima fruſta, pars tæniæ filum referens, quod caput dicunt, etiam ejecta fuerit. Nec contra hanc vim facit, quod in hac Ægra poſtea minus efficax fuerit; in initio enim, etiam antequam purgans pharmacum aſſumſiſſet, manifeſto jam fruſta tæniæ deceſſerunt, argumento, remedii vim tæniæ adverſam eſſe. Et tam rebellem ad omnia remedia tæniam huic etiam pro parte reſiſtere, quid mirum? ne memorem, doſin augendo, hoc in caſu plenam forte expulſionem obtineri po-

tuiſſe. Id utique perſuaſum mihi habeo, ſi ullum, noſtrum certe remedium mereri, ut ulterius ad tæniam pellendam exploretur.

Quæritur jam, qualis ſit vis, qua vermibus infeſtus eſt hic Cortex. Vis evacuans, de qua poſtea videbimus, non ſatis magna eſt, ad expulſionem præſtandam; cum hac vi pleraque Purgantia Cortici noſtro antecellant. Mihi quidem videtur remedium vim vermibus venenatam poſſidere. Sæpe enim vermes poſt ejus uſum excreti mortui ſunt: & quandoque illud experiuntes mox abhorrent, ac protinus deleterium ſibi virus effugiunt (§. 7 Obſ. 4, & §. 10); ita ut nonnunquam viſi ſint apud infantes inter ludendum ex ano exiviſſe, nulla adhucdum catharſi inſecuta. Quales effectus ſine vi vermibus venenata vix explicationem admittunt.

2° Concludimus porro, ineſſe Cortici noſtro *facultatem inſignem, mucum & pituitam tenacem incidendi, ſolvendi & movendi.* Perlegat quis recenſitas obſervationes; vix ullam reperiet, in qua hæc non animadverſa eſt. Tanta eſt hæc vis, ut Doctiſſ. DE MAN, ab hac potisſimum Vermifugam virtutem derivandam eſſe, ſuſpicatus fuerit (§. 3) Id quidem inficias eundem non eſt, vim vermifugam ab hac facultate inſignem in modum intendi & adjuvari; cum vermium nidi, in tenaci pituita quærendi, ſic egregie turbentur, & diſpoſitio ad novam verminationem infringatur. Ab hac tamen ſola vim Anthelminticam derivare, quæ ſupra de vi venenata diſputavimus, vetare videntur

Sed

Sed & hæc vis effecit, ut remedium ſæpius efficaciſſimum ſe præſtiterit, absque vermium excretione, in caſibus, ubi cauſſa mali in tenaci pituita primarum viarum poſita erat. Variæ exſtant, huc pertinentes, obſervationes (§. 1 Obſ. 11 & 12, §. 2 Obſ. 3, & §. 3 Obſ. 3).

Nec ſubſiſtit hæc virtus in incidenda ſola primarum viarum pituita; ſed ultra has progreditur, uti teſtantur effectus, quos exſerere viſus eſt in colluvie pituitoſa & obſtructionibus variis in partibus ſedentibus: ut Aſthmate pituitoſo, Leucophlegmatia, Anaſarca, Nephritide pituitoſa, Febribus intermittentibus, ſimilibusque (§. 1 Obſ. 7, 8, 9 & 10; §. 2 Obſ. 3; §. 4; & §. 5 art. 2°, 3° & 6°).

Quandoque tamen hac ſua vi nocet in teneriori-bus, inteſtina muco orbando. His in caſibus convenit, ante & ſub ejus uſum Mucilaginoſa & Oleoſa exhibere, quibus inteſtina obliniantur.

3° Conſideranda porro venit *vis ſurſum deorſumque evacuans*, quam Cortex noſter majori minorive gradu exercet: & primo quidem in ſtomachum; unde frequenter ab ejus uſu anxietates, aliquando ſatis vehementes, nauſeæ, vomitus: deinde in inteſtina, hinc alvi egeſtiones plus minus copioſæ plerumque excitatæ. Interim ab hac vi, ventriculi fibras irregulariter irritante ſæpe contingit, ut remedium plena doſi ferri non poſſit, quin continuo evomatur, vel in ſenſilioribus ſyſtematis nervoſi turbas producat, aliave incommoda, quæ ægros ab iterato uſu deterrent. Et hi effectus præſertim quidem obſervantur,

ſi alvus ſub uſu hujus remedii immota maneat. Evitari autem hæc mala poſſunt doſin juſte moderando, vel remedium per epicraſin exhibendo, vel & lene Purgans, vel Carminativum quoddam addendo: ſub quo moderamine vel infantibus biennalibus tuto, absque ullo pravo effectu dari poteſt, ſæpiusque datus eſt.

Mirum tamen eſt, hanc vim longe vehementiorem obſervari in corporibus adultis, robuſtioribus & ſiccis, dum infantes & laxa corpora minus patiuntur. Derivandum hoc videtur a vi mucum ſolvendi, qua ſimul gaudet remedium; cum per hanc in ſiccis corporibus, parum muci habentibus, omni muco inteſtina orbentur, & ſic ad ſtimulantem vim ſenſiliora fiant.

4o Notari præcipue meretur *ſtimulus*, quem ſæpius remedium exſerit *in organa urinaria*, ingentem lotii copiam movendo, & in ſenſilioribus moleſtum veſicæ teneſmum producendo (§. 1 Obſ. 6, 7 & 10; §. 2 Obſ. 4; §. 4 Obſ. 1; & §. 5 art. 3o). Reſpectu hujus virtutis hic Cortex certe locum meretur inter medicamenta Diuretica & Hydragoga.

Memorandæ tandem veniunt vires, quas an Cortex noſter per ſe poſſideat, defectu iteratæ experientiæ, dubium adhuc eſt. Talis eſt

5o *Vis Antiſpasmodica*, quam ineſſe remedio noſtro diceres, ex commodo, quod in Motibus Convulſivis, Epilepticis, aliisque malis ſpasmodicis, ut Tuſſibus variis, & nominatim in Tuſſi convulſiva in-

infantum præſtitit. Sed, qui conſiderat, nullam inter has obſervationes dari, in qua vel vermes, vel tenax pituita non expulſi fuerint, dubium relinqui, mecum conveniet, an mediate, an vero immediate vis antiſpasmodica *Cortici Geoffrææ* competat. Forte nervos leniter afficiendo, nauſeamque excitando effectum antiſpasmodicum exſerere nonnunquam ſolet.

6° *Expectorandi vis*, quam aliquoties monſtravit, facile quoque a facultate pituitam incidendi, & nauſeam lenem movendi, derivatur. Cui accedit forte aliqua ſtimulandi potentia, qua nervos afficit.

7° Simili fere modo res ſe habet cum *Vi Roborante*, quam exſerere quandoque viſus eſt in laxitate inteſtinorum, gangræna ſpontanea ſenum, ſimilibusque morbis (§. 5 art. 6° & 7°).

Aliquam quidem vim roborantem ineſſe, ex principio, quo gaudet, amaro, adſtringente concludere licet. Verum, cum hoc longe minore gradu, quam alia roborantia, poſſideat, hinc non multum exſpectandum videtur. Statuerem potius, hanc vim dependere a facultate mucum & pituitam incidendi; quoniam per hanc corpus diſponitur, ut virtus remediorum roborantium (in quorum connubio vim roborantem Cortex noſter præſertim exercuit,) validius agat.

§. XII.

Doſis & modus exhibendi.

Forma varia *Cortex Geoffrææ* exhibitus eſt. Prima quidem forma, qua dabatur, quæque ſola in Surinamia uſitata eſt, eſt *Decoctum:* & ſane hac forma maxime efficacem ſe præſtitit, præſertim, ſi lumbricorum expellendorum cauſſa ſumebatur. Decoctum hoc ſequenti modo parari & exhiberi homini adulto ſolet, ſi ad vermes pellendos datur: *Corticis Geoffrææ Surin.* unc. 2 coquuntur cum Aq. comm. unc. 24 ad Colat. unc. 12: Hujus Decocti tertia pars, ſive unc. 4, per tres inſequentes dies quovis mane propinatur, ita ut Decoctum intra triduum abſumtum ſit: quarto autem die exhibetur aliquod purgans remedium, niſi alvus ſub uſu Decocti aliquoties mota fuerit. Hoc modo plerumque uſi ſunt Medici. Varii tamen minorem dederunt doſin, aliaque addiderunt, ſaporis gratia, vel alia de cauſſa. Purgans, perinde eſt, ex quonam remedio paretur; pleraque Purgantia hunc in finem data ſunt, effectu eodem. Quin & Purgantis loco Clysma quandoque bono cum ſucceſſu injectum fuit. Ceterum in delicatioribus & ſenſilioribus, qui ob anxietates, nauſeas, vomitus, ſyſtematis nervei agitationes, ſimiliaque, difficulter integram Decocti doſin, ſi ſemel ſimulque aſſumatur, ferunt, apte & efficaciter quoque Decoctum per epicraſin datum eſt, ſumtis omni hora vel bihorio uno pluribusve cochlearibus.

Decoctum hoc in *Clyſmate* etiam adminiſtravit Cl. VOLTELEN (§ 1 Obſ. 4) optimo cum ſucceſſu: & hæc methodus ſane in aſcaridibus eliminandis notari omnino meretur.

Si autem Decocti ſapor, (qui, licet ipſe Cortex lenem amarorem tantum oſtendat, intenſe amarus & adſtringens eſt,) ægris diſpliceat; vel minus volumen requiratur, eundem in finem dari poteſt *Extractum* ad gr. 15 mane tribus inſequentibus diebus, ſuperaddito Purgante die quarto: tumque in Pilulas vel Bolum formari, vel aqua quadam ſtillatitia ſolvi poteſt. Hæc quoque exhibendi methodus bona eſt & efficax. Extracti autem hæc forma maxime congrua eſt, ubi remedium in morbis chronicis ad pituitam movendam propinatur; ſive ſolum Extractum adhibeatur, ſive cum aliis Amaris, Gummatibus, & Sapone mixtum propinetur.

Reſina ſaccharo mixta infantibus commodum præbet remedium, ſicubi lenta vi pituita incidenda, ventrisque & glandularum infarctus ſunt reſolvendi a gr. 3 ad 8. Adultis ad ſcrup. 1 usque.

Eodem ſcopo congrue quoque exhibetur *Tinctura Spirituoſa*. Hæc paratur ex *Cort. Geoffr.* unc. 1 cum Spir. Vin. unc. 8. Doſis hujus Tincturæ eſt a gutt. 50 ad 100, ſenſim adſcendendo, incidendi & deobſtruendi potisſimum fine.

In *Pulvere* rarius adhibitum eſt hoc remedium. Inter obſervationes tamen occurrit unus & alter caſus, in quibus hac quoque forma vires ſuas exercuit. Inferiorem tamen hanc reliquis formis efficacia eſſe,

crediderim; ob inſignem Corticis duritiem, quum vis ejus non niſi coctione diu protracta in aquam tranſeat.

Denique inter obſervationes exſtat caſus (§. 5 art. 3°), in quo bono cum effectu in *Infuſo Vinoſo* propinatus fuit Cortex.

Poſſet etiam *Aceto* digeſtum exhiberi hocce remedium, melle edulcoratum; atque Aceto Scillitico analogum ſic cenſeri. Habet ſane *Cortex Geoffr.* cum Scilla affinitatem quamdam, ſi effectus ſpectentur.

Quoad modum exhibendi monendum aliquid reſtat de more, in propinando hoc medicamento ad lumbricos in Surinamia obſervari ſolito. Attendunt nempe ibi ad Lunæ phaſes, nec remedium exhibent, niſi novilunii, aut plenilunii tempore. Medici, autem, qui Corticem noſtrum propinarunt, uno ore teſtantur, attentionem hanc tuto negligi poſſe, cum, quocunque tempore dederint, nihilo ſecius lumbrici expulſi fuerint.

§. XIII.

Combinationes cum aliis medicamentis.

Combinari cum variis medicamentis *Cortex Geoffrææ* poteſt: ſive ut moleſtiæ inde timendæ prævertantur; ſive ut actio medicamenti adjuvetur, certoque fini accommodatior fiat. Purgantia lenia addita cum vim *Geoffrææ* verſus alvum dirigant, anxietates, nauſeas, vomitusque egregie tollunt, ſimulque vermium

mium expulſionem promovent. Aromata, Carminantia, Antiſpasmodica, motus quoque, nervis forte inducendos, pulcre antevertunt. Emollientia ſtimulum ſyſtemati uropoiëtico illatum mulcent.

Imprimis memorandæ veniunt combinationes, per quas major vis exſurgit, quam alterutri ſeorſim ineſt. Ita vim Anthelminticam ab aliis additis intendi poſſe, ſuſpicatur Doct. VEIRAC (§. 5 art. 1°): & in duobus caſibus ſe hoc ab addita Radice Valerianæ Sylv. vidiſſe, teſtatur, in quibus utrumque remedium ſeorſim minus efficax ſe præſtiterat. Roborantium vim ab addito *Cortice Geoffrææ* in corporibus laxis pituitoſis intendi, ſupra jam monuimus (§. 11 art. 7°). Exſtat ſupra (§. 5 art. 3°) caſus, in quo *Cortex Geoffr.*, Scillæ & Helleboro nigro junctus, præſtitit, quicquid ab optimo deobſtruente diuretico exſpectari poſſet; dum præterea tamquam purgans ſeroſum operabatur.

§. XIV.

Differentiæ in doſi & agendi modo inter Corticem Surinamenſem & Jamaïcenſem.

Ex conſideratione memoratarum virium & agendi modi jam apparet, & hoc reſpectu multum inter ſe differre *Corticem Geoffrææ Surinamenſis*, & *Ja-* [illegible] quod patebit examinando hujus doſin &

Doſin quidem *Corticis Geoffrææ Jamaïcenſis* longe minorem ferunt ægri, quam noſtri Corticis: *Decocti* enim (cujus autem proportio non admodum accurate determinatur, licet multo debilius ſit ſolito Corticis noſtri Decocto,) adultus quatuor tantum cochlearia ferre poteſt; juvenis tria; adoleſcens decem annorum duo; infans unum tantum. *Syrupi* eadem eſt doſis. *Extracti* doſis eſt gr. 3. pro adulto; juveni gr. 2; decenni adoleſcentulo gr. 1 & dimidii, infanti gr. 1. *Pulveris* doſin adulti non majorem ferunt quam gr. 30, juvenes gr. 20, decennes gr. 15, infantes gr. 10. Infantibus unius tantum anni dimidia quantitas, quam reliquis infantibus datur.

In recenſione effectuum *Corticis Jamaïcenſis* prima differentia a noſtri Corticis effectibus, quæ occurrit, eſt potens Vis Narcotica: hæc ſi a *Cortice Surinamenſi* obſervetur, levis ſaltem eſt.

Ulterius monet Wrightius, ſedulo cavendum, ne durante operatione remedii aqua frigida potetur, quoniam hoc in caſu producit nauſeam, vomitum, febrim & delirium: optimumque tum remedium eſſe, largam aquæ tepidæ copiam ventriculo ingerere. Effectus hic ex noſtro Cortice nunquam obſervatus fuit.

Nec a *Cortice Surinamenſi* obſervati ſunt effectus cathartici tam vehementes, quam a ſuo Cortice expertus eſt Doct. Wright: refert nempe Pulveris gr. 30 vel 40 æqua vi ac Jalappæ Radicem alvum mo-

movere; & ab Extracti gr. 5 robuſtum hominem ægrotare, & ſæpius alvum deponere.

Nunquam noſtrum remedium deleterios produxit effectus, quos *Corticem Jamaicenſem*, majori doſi exhibitum, quandoque produxiſſe, idem memorat.

F I N I S.

ADDENDA.

AD CAP. I §. IX.

Poſtquam magna hujus diſſertationis pars jam typis mandata eſſet, Expert. L. JULIAANS in collectione ſua rerum, ad Scientiam Naturalem pertinentium, invenit ramulum Speciei illius *Geoffrææ*, de qua Cap. I §. 9 monuimus; & per epiſtolam, ad Cl. VOLTELEN datam, hoc indicavit. Rogatus mox hunc ramulum miſit, ut examinare liceret; ſimulque fruſta nonnulla Corticis hujus Speciei addidit.

Ramulus liquore aſſervatus folia fructusque gerebat, non flores. Examine inſtituto conſtitit, vere eſſe ſpeciem a noſtra *Geoffræa* diſtinctam; & relationem, quam ſupra dedimus, ſatis accuratam fuiſſe. *Folia* nempe ſunt oppoſite pinnata cum impari, quinquejuga. *Foliola* ovata, acuminata, integerrima, glaberrima, tenuiora, quam in noſtra ſpecie, nervo longitudinali ſubtus eminente, ultra ſuam latitudinem diſtantia; inferiora paria minora ſunt, ſurſum magnitudine augentur. *Drupa* magnitudine noſtræ *Geoffrææ* æqualis, carnoſa, ovalis, glabra.

Cortex hujus Speciei minorem craſſitiem habet, quam

quam noſter Cortex. Extus colorem habet fuſcum, ferrugineum, vix ullis Lichenibus obtectum. Corticis ſubſtantia albida eſt, flavescens, filamentoſa, fragilis, ſpongioſa, mollis; nullus, ubi transverſaliter ſecatur, ſplendor. Interna ſuperficies albet pro maxima parte, licet hic illic macula nigricans conſpiciatur. Nullum offert odorem. Sapor vix manifeſtus eſt, levisſime amaricans, adſtringens.

Cognovi ulterius, non admodum conſtare, quamnam Speciem, noſtram, an vero hanc, Nigritæ *Maſculam* appellent. Relationes, hac de re transmiſſæ, ſibi obloqui videntur. Neque multum intereſt; modo quæ vera ſit, atque virtute maxime præcellens, per ſua ſigna rite dignoſcatur.

EXPLICATIO TABULÆ.

FIG. 1 Repræſentat ramulum cum folio & racemo florido, ad ſpecimen, liquore aſſervatum, naturali magnitudine delineatum.

2 Siſtit *Vexillum* Corollæ.

3 *Alas* deſignat.

4 Bina petala *Carinam* conſtituentia.


5 Depictum exhibet *Calycem* cum *Staminibus*.

6 Abſciſſo pro maxima parte Calyce, & ſublatis ſtaminibus totum oſtendit *Piſtillum*.

7 Delineata habetur *Drupa*.

8 Ablata Drupæ pulpa, *Nucem* apertam, & in ea contentum *Nucleum* ob oculos ponit.

VA11527499


5
6

Digitized by Google